PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXV / ~~FASC. I-II~~
~~15 Iun.~~ / 1946



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE


BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1946

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta



PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXV / FASC. I-II
15 Iun. / 1946



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1946

IMPRIMI POTEST

Romae, die 20 iun. 1946

P. Emmanuel Porta
Praep. Prov. Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Romae, die 21 iun. 1946

† A. Traglia
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae - Romae

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

RECENS S. R. ROTAE SENTENTIA

Nullitas matrimonii ex impotentia viri

1. Camillus, viduus qui in primo suo matrimonio nullam procreaverat prolem, novas iniit nuptias cum Augusta. In prima nocte post nuptias vir magno cum dolore. animadvertit uxorem iam antea virginitatem suam amisisse, quam circumstantiam mulier incertis verbis explicare sategit. Cum autem deinceps in uxore apparuissent certa indicia praegnationis, vir vocavit medicum, ut mulierem inspiceret; medicus autem declaravit Augustam reapse esse gravidam. Hoc valde miratus est vir, quippe qui ob gravem morbum quo in genitalibus laboraverat sese putabat incapacem ad generandum; ideo adiit alium doctorem medicum, qui examine viri instituto declaravit eum esse absolute impotentem ad filios procreandos. Tum vir institit apud suam uxorem ut manifestaret, quomodo praegnans facta esset; atque mulier tandem aliquando ei fassa est se tempore sponsalium usque ad nuptias rem habuisse cum alio viro. Quo audito, vir illico reliquit domum coniugalem atque a Tribunali civili petiit separationem legalem, quam obtinuit, et ab hac die mulier cum patre prolis nasciturae cohabitare coepit.

Augusta apud Tribunal Curiae X. matrimonium suum accusavit nullitatis ob impotentiam viri. Prodiit sententia votis actricis adversa, quam tamen Turnus Rotalis coram R. P. D. Canestri ad quem appellatum fuerat infirma-

vit. A qua altera sententia cum Defensor vinculi prout de iure appellaverit ad Turnum sequentem, constitutum RR. PP. DD. Auditoribus Andrea Jullien, Decano, Arcturo Wynen, Ponente, et Guillelmo Heard, hi priorem Rotalem sententiam confirmarunt.

2. *In iure.* — Vir dicitur esse impotens si incapax est ad copulam perfectam seu vere coniugalem perficiendam. Iamvero iuxta sanam doctrinam Auctorum probatorum et constantem iurisprudentiam ecclesiasticam, praesertim Ordinarii Tribunalis S. Sedis seu S. Rotae, copula in sensu canonico perfecta habetur quando vir erecto suo membro vaginam mulieris vere, esto gradu imperfecto, penetrat et in eadem vagina semen verum seu in testiculis elaboratum, quamvis in minima quantitate, naturali modo immediate effundit. Omnis igitur vir, qui reapse vaginam penetrare et saltem partem veri sui seminis directe in ipsa vagina deponere valet, *potens* dicendus est ad matrimonium valide contrahendum; *dubie potens* in sensu can. 1068, § 2, est vir qui dubie capax est hoc verum semen emittendi. *Impotens* e contra est vir qui *aut* nullo modo, ne imperfecte quidem, vaginam penetrare valet, quia v. g. caret erectibilitate membri, *aut* verum semen in vagina effundere nequit, sive quod utroque testiculo semen elaborante careat, sive quod ambo eius testiculi plena atrophia laborent, sive quod eius canaliculi deferentes impervii sint ideoque semen testiculare ad extra eiaculari nequeat. Quare in omni viro, qui uno ex hisce defectibus laborat, habetur *impotentia coëundi* in sensu canonico, quae si sit antecedens et perpetua, « matrimonium ipso naturae iure dirimit » (can. 1068, § 1). Impotentia coëundi distinguitur a mera *impotentia generandi* seu a sterilitate, quae « matrimonium nec dirimit nec impedit » (can. 1068, § 3). Ideo copula perfecta communiter definiri solet: « Copula *de se* apta ad generandam prolem, licet *per accidens* generatio non sequatur ».

3. Cl. Cappello « debita cum reverentia » (uti ait) re-

cedendum existimat ab hac notissima definitione, quia finis copulae seu procreatio prolis « praecise quia *finis* est, non videtur necessario exprimendus in notione copulae. Sola *actio humana* (exclusa actione *naturae,* quae *de se* impervia et occulta est) videtur exprimenda in definitione copulae. Porro huiusmodi actio constituitur et perficitur sola effusione veri seminis in vase muliebri ». Idem cl. Auctor tradit deinde hanc definitionem copulae coniugalis seu perfectae: « Actio qua semen verum effunditur modo naturali in vaginam mulieris » (*De sacramentis,* ed. 3, vol. III, n. 342). Hanc definitionem, utpote iuxta strictum conceptum philosophicum verbi « definitionis » factam, esse praeferendam, negari nequit. Substantialiter exprimit omnino idem ac nota definitio improprie dicta seu potius descriptio copulae perfectae supra adducta. Id clare apparet ex explicatione emendatae definitionis ab eodem Cappello addita.; « Quatuor ergo — ita ille — requiruntur et sufficiunt ad conceptum copulae: 1° *effusio seminis;* hinc satis non est penetratio vaginae absque seminatione; haec erit potius tactus quidam impudicus, sed non vera copula; 2° *semen verum,* et non humor quicumque prout haberi potest etiam in eunuchis; 3° semen effundi et recipi debet *modo naturali,* scil. per erectionem membri virilis et penetrationem vaginae; excluditur proinde fecundatio artificialis; 4° semen effundendum est in *vagina mulieris;* exclusus manet onanismus. Hac definitione admissa — prosequitur Auctor — clare intelligitur cur steriles sint capaces copulae ». « Ut poni possit huiusmodi copula — concluditur — requiruntur in viro: 1° *virga* (membrum virile, penis, veretrum); 2° *unus saltem testiculus,* ad verum semen efformandum; 3° *erectibilitas virgae* » (loc. cit.). Sed debita cum reverentia censemus addendum esse quartum requisitum (quod ceteroquin latet in primo elemento ab ipso cl. Auctore adducto: « effusio seminis »), videlicet: *canaliculi deferentes pervii,* per quos semen a testiculis elaboratum ad extra eiaculari possit.

Hoc additamentum in casu magni momenti est; nam in causa praesenti praecise quaeritur, an impotens dicendus sit vir, cuius semen testiculare in vas femineum eiaculari nequit, sive quia iam epididymi obstructi sint, sive quia proprii canales deferentes incapaces sint ad transferendum semen ad vaginam penetratam. Iudices Curiae X. in prima instantia id negarunt, declarantes ad constituendam potentiam virilem non esse necessarium ut vir in seminatione effundat semen in testiculis elaboratum; Turnus Rotalis e contra coram R. P. D. Canestri id affirmavit in secunda instantia, idque secundum constantem iurisprudentiam Rotalem. Ideo in hac tertia instantia res novo examini subicienda est.

4. Equidem non defuerunt qui audacter declaraverunt omnes illos viros ad contrahendum validum matrimonium esse impotentes, in quorum semine aut omnino *desunt nemaspermata* seu spermatozoida aut tantum *mortua* vel *languescentia* adsunt. Ita Alberti, a Iudicibus primae instantiae citatus, asseruit impotentiam haberi « quando elementa essentialia ad generationem, nempe nemaspermata in viro, omnino desunt, neque vero conficiuntur » (*De sexto et nono Decalogi praecepto,* pag. 3). Sed haec singularis doctrina, quae non distinguit inter impotentiam coëundi et impotentiam generandi, quae proinde manifesto peccat in claros textus iuris, a limine reiicienda est neque ab ullo probato Auctore acceptatur. Sed talis sententia particularis destruere non valet uniformem doctrinam contrariam probatorum Auctorum. Secus eiusmodi uniformitas fere nunquam haberetur, quoniam vix est aliqua doctrina quae a nemine in dubium vocatur aut etiam ut falsa proclamatur. In casu utique Alberti non est solus scriptor qui talem sententiam contra uniformem doctrinam probatorum Auctorum defendit; nam sunt etiam alii auctores moderni qui illam novam theoriam amplexi sunt quia iuxta recentiorem doctrinam biologorum et physiologorum semen virile tunc tantum « per se aptum » est ad generan-

dam prolem, si contineat nemaspermata eaque viva. Sed infra ostendetur inde non debilitari sanam doctrinam Ecclesiae.

5. Praeter Auctorem supra citatum Iudices Curiae X. adducunt etiam *decisionem Rotalem* diei 8 ianuarii 1913, latam ab Auditoribus Cattani, Perathoner et Alberti, in qua praecipue ex textibus Canonistarum, qui ad constituendam potentiam virilem exigunt habilitatem viri ad copulam perfectam seu per se aptam ad generationem, et ex erronea opinione semen verum non esse nisi semen spermaticum, deduxerunt quod « non quodcumque semen, a virga virili in vaginam mulieris depositum, efficere possit copulam perfectam, sed tantum semen quod verum sit, seu de se sit capax generationem operandi » (*Dec. S. R. Rotae,* vol. V, dec. III, n. 10), « licet non requiratur ut habeatur semper prolis generatio; ac proinde impotentia non confunditur cum sterilitate » (loc. cit., n. 8). Legimus autem in sententia Curiae X.: « At recentior iurisprudentia eiusdem S. Rotae, inde ab a. 1919, *alteri sententiae* suum adiecit calculum », et citatur decisio diei 4 iulii 1918 coram Sebastianelli. Verum, in casu non habetur duplex iurisprudentia Rotalis, antiquior et recentior, sed una eademque. Etenim *una* illa sententia coram Cattani nunquam constituere potest iurisprudentiam, quae a Maroto apte definitur: « Constans uniformitas sententiarum quae in tribunalibus feruntur circa genus aliquod causarum; seu constans et uniformis ratio decidendi causas vel edendi sententias iudiciales in aliquo causarum genere »; quibus statutis idem Auctor sic prosequitur: « Magna semper agnita est vis iurisprudentiae, sed ut obliget debet esse legitime praescripta... Post numerum adaequatum sententiarum uniformium, post decursum legitimum temporis spatium, post alias condiciones, quae solent requiri in praescribenda consuetudine, observantia, stilo, etc., iurisprudentia erit firma et nancisceretur suum plenum valorem. Qui valor, si agatur de sententiis Tribunalium supremorum, ac iure nostro

de sententiis et decisionibus Dicasteriorum Curiae Romanae, dicitur communiter esse huiusmodi ut non solum in Tribunali; unde profluit iurisprudentia, sed etiam in tribunalibus inferioribus obliget, ita ut ius faciat quoad omnes, et eam iurisprudentiam sequi teneantur iudices inferiores » (*Inst. Iur. Can.*, ed. 3, vol. I, n. 366 s.). In casu iurisprudentia Rotalis non infirmatur illa sententia anni 1913, seu triginta annis ante lata, praesertim cum illa sententia eodem anno per sententiam coram Prior infirmata fuerit (vol. V, dec. LIV, n. 2 ss.). Quare iurisprudentia Rotalis, non « praevalens », sed communis seu constans virum declarat potentem ad copulam perfectam, si in vaginam penetratam effundere valet semen in testiculis elaboratum, adsint aut non adsint in hoc semine nemaspermata.

6. In decisione Curiae X. contra hanc iurisprudentiam Rotalem legimus: « Fatendum est primam sententiam (scl. illam Auctoris Alberti et nonnullorum aliorum Auctorum modernorum), prae altera, maiore logicitate pollere seu magis sibi cohaerere, idque duplici praesertim de causa: tum quia testiculi *nonnisi spermatozoida* elaborant, dum liquor, quo eadem continentur quoque ipsa viabilia fiunt, ab aliis glandulis promanat, ita ut dici nequeat, sine evidenti contradictione, verum semen quod a testiculis elaboratum sit quodque simul spermatozoidis careat; cum quia *frustra exigitur semen* quod *necessario infecundum* erit ». Haec tamen stare non possunt. Etenim *primam ex allatis causis* esse falsam, fuse probatum est in sententia Rotali diei 25 aprilis 1941, coram Wynen, n. 5. Ex locis recentiorum physiologorum ibi citatis sufficit depromere quae sequuntur. « All'infuori degli spermatozoi, i testicoli non forniscono che una piccola quantità del liquido che è necessario alla progressione di essi »; « Il più importante del secreto testicolare sono gli spermatozoi »; « Secondo Broesike, nell'eiaculazione del seme vien versata prima la secrezione della prostata, poi il liquido secreto

dal didimo e contenente spermatozoi, in ultimo la secrezione delle vescichette seminali, senza che avvenga una promiscuità di questi liquidi ». Ideo sustineri nequit testiculos non aliud producere nisi exiguissima illa corpuscula, singula singulatim sumpta, oculorum aciem fugientia et tantum ope microscopii sub aspectum cadentia, quae nemaspermata vocantur, atque haec sola corpuscula microscopica constituere verum semen, quo secundum constantem iurisprudentiam Rotalem praeditus sit oportet vir ut potens sit ad contrahendum matrimonium. Ceterum in formula « semen in testiculis elaboratum » vox testiculi non restringitur ad didymos, sed extenditur ad epididymos; nam licet didymus et epididymus realiter sint duae res distinctae, tamen inter se cohaerent et in eodem scroto quisque didymus cum suo epididymo adhaerente exsistunt atque unum quid moraliter constituunt; etsi igitur — dato, non concesso — in didymo efformarentur tantummodo nemaspermata, et in epididymo accederet prima pars liquidi: tamen hoc liquidum semper considerari deberet ut « semen in testiculis elaboratum ».

7. Neque solidiore fundamento innititur *altera causa* a Iudicibus primae instantiae adducta, seu dictum: « frustra exigitur semen quod necessarium infecundum erit ». Siquidem nemo praesumit exigere semen necessario infecundum, sed tantum sustinetur: Vir, qui saltem alterutro testiculo et canalibus communicantibus perviis praeditus est (et vir supponitur praeditus esse hisce elementis donec contrarium probetur), censeri debet et est *per se* habilis ad effundendum verum semen, licet *per accidens*, ob aliquem defectum in *opere naturae*, spermia desint; ideoque talis vir habilis est ad actus per se aptos ad prolis generationem, de quibus in can. 1081, § 2, iuxta quem consensus matrimonialis, matrimonium constituens, habetur si quis tradit et acceptat ius in corpus compartis, utique perpetuum et exclusivum, praecise « in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem ». Neque obstat, quod

elementum « per accidens » deficiens, in casu sit elementum praecipuum quoad effectum et finem, propter quem totus contractus matrimonialis initur; nam aliud est *effectus et finis* contractus, aliud *obiectum* contractus. At obiectum contractus matrimonialis non est proles generanda, sed dumtaxat relativa *activitas,* quae si fit a viro habente testiculos vel saltem unum testiculum et canales communicantes integros, *per se* apta et sufficiens est ad novae vitae productionem, neque plus requiritur quam viri « aptitudo per se ». Qui autem obiiciunt, in casu aspermiae seu azoospermiae vel necrospermiae ineptitudinem viri ad actum naturalem generativum esse *per se,* et non *per accidens,* pervertunt terminologiam seu rectum usum verborum. Siquidem posita causa alicuius « effectus per accidens », sequitur utique hic effectus *per se* ex causa posita; sed non est per se seu ex natura causarum quae influunt, ut sint ita unitae; haec coniunctio potius mere ab extra et sine tendentia naturae alium finem prosequentis et sine intentione causae deliberate agentis seu hominis peragitur. Plura hac de re cfr. in cit. sententia Rotali diei 25 aprilis 1941, n. 7.[1]

8. Obiiciunt vero Iudices primae instantiae: « Haud intelligitur cur ex parte viri, praeter capacitatem penetrandi atque habendi *copulam perfectam seu plene satiativam appetitus sexualis,* requiratur quoque emissio veri seminis a testiculis elaborati. Siquidem huiusmodi emissio haud pertinet ad actionem humanam, sed potius ad actionem naturae... Illa consistit in penetratione membri virilis in vaginam usque ad plenam satiativam appetitus venerei satisfactionem cum connexa seminis, si quod sit, effusione; haec in elaboratione nemaspermatum atque effectiva eorum effusione per vias spermaticas atque tandem per veretrum ». Contra hoc dictum, quod praecipuum ar-

---

1 Cfr. Periodica, XXXIII, 200.

gumentum illorum Iudicum fuisse videtur, animadvertenda sunt quae sequuntur.

1° Copulam perfectam non esse idem ac copulam « plene satiativam appetitus sexualis » patet ex eo, quod tunc remedium concupiscentiae esset *finis primarius* matrimonii; sed hoc remedium iuxta can. 1013, § 1, est tantum unus ex secundariis finibus matrimonii, dum procreatio prolis proclamatur finis primarius matrimonii. Haberetur insuper consectarium prorsus reiiciendum, quod viri qui, quamvis habiles ad penetrandum, tamen, ob naturalem quandam frigiditatem, nullam *satisfactionem* veneream percipiunt ex copula coniugali, uti impotentes ad contrahendum considerandi essent!

2° Essentialis exsistit differentia inter actionem humanam viri et actionem humanam mulieris. Vir nempe est *elementum activum* copulae, et qua tale in sua actione omnia afferre debet quae per se requiruntur et sufficiunt ad ponendum actum per se aptum ad prolis generationem; mulier e contra est *elementum* mere *receptivum* seu *passivum* copulae in sensu canonico. Ideo ut vir actionem humanam suo sexui correspondentem perficere valeat, non sufficit ut penetrare valeat et remedium concupiscentiae inveniat, sed insuper praeditus esse debet testiculis qui apti sint ad producendum verum semen, et canalibus qui semen testiculare ad extra deferre possint; impotens proinde dicendus est vir, cuius testiculi sunt atrophizati, vel cuius canales deferentes sunt aut plene et insanabiliter obstructi aut irreparabiliter persecati. Mulier vero potens est si valeat esse elementum receptivum tum membri virilis tum seminis ab eo eiaculati; quare non nocet si mulier careat utero et ovariis, quae sunt organa postvaginalia, ad facultatem receptibilitatis nullatenus pertinentia.

9. Alibi quidem Iudices primae instantiae admittunt, ad constituendam viri potentiam pertinere ut vir *praeditus sit testiculis* vel saltem alterutro testiculo; idque ad-

mittere coguntur ob celebrem illam Epistolam Summi Pontificis Sixti V *Cum frequenter* diei 27 iunii 1587, qua eunuchi et spadones, utroque testiculo orbati, ad contrahendum matrimonium inhabiles declarati sunt. Illa Epistola sic incipit: « Cum frequenter in istis regionibus (Epistola data est Nuntio Apostolico in Regnis Hispaniarum) Eunuchi quidam, et Spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse... ». Nihilominus Iudices illi, contra sententiam communem Theologorum et Canonistarum, sustinent habilitatem emittendi verum semen non requiri ad constituendam potentiam viri, quia illa decisio Pontificia « unice de eunuchis et spadonibus lata est », et quia « rationes quibus leges innituntur vim legis non habent ». Dimissa diffusa disputatione huius quaestionis a Canonistis sufficienter jam facta, id unum notetur: Ad quid requiruntur in viro ut potens sit testiculi, si una simul proclamatur potentiae virili non nocere si isti testiculi irreparabiliter separati sint a canalibus deferentibus?

10. Iudices Curiae X., ut ostendant habilitatem emittendi semen testiculare non requiri ad potentiam coëundi et ad matrimonium, provocant etiam ad *praxim Ecclesiae*, quae absque omni praevio examine *senes* ad matrimonium admittit, licet constet senes ordinarie et per se ob atrophiam testiculorum esse incapaces ad semen testiculare producendum et eiaculandum. At hoc argumentum non recte concludit. Etenim condicio senum qua talium est essentialiter alia atque eorum, quorum testiculi ex immutatione traumatica aut ex affectione morbida sunt atrophizati. In his enim textura spermiogenerativa est aut simpliciter destructa aut histologice deformata et obdurata aut gravi intoxicatione totaliter et perpetuo inepta reddita ad normalem functionem. In senibus autem ut talibus huiusmodi immutationes non inveniuntur; progrediente aetate diminuitur quidem in eis vigor et facilitas functionis testiculorum, sicuti pariter multorum aliorum organorum; at

gratis omnino asseritur, omnem testiculorum functionem exocrinam perpetuo ita in senibus exstingui, ut nulla pars texturae spermiogenerativae activitate exocrina fungi valeat (licet haec activitas modo imperfecto et tantum in certis intervallis adsit). Frequentissima senum sterilitas aliter explicari potest neque ullo modo supponit totalem et perpetuam absentiam dictae functionabilitatis. Accedit quod, uti ex supra dictis patet, eiusmodi absentia huius functionabilitatis in sene ceteroquin sano cum certitudine nequeat probari. Ad summum igitur in sene habetur mere dubia inhabilitas emittendi semen testiculare, quamobrem privandus non est facultate contrahendi matrimonium quae ei ex iure naturali competit. Neque praevio examini subiiciendi sunt senes; nam ex una parte tale examen ex natura sua in casu esset insufficiens et inefficax, et ex altera parte homo iure naturali contrahendi matrimonium privari nequit ob impedimentum incertum. Quare non correspondet rei veritati assertio: senes ab Ecclesia ad matrimonium admittuntur, etsi certo constet eos laborare totali et perpetua impotentia emittendi semen testiculare. E contra valet principium: secundum doctrinam et praxim Ecclesiae senes a celebratione matrimonii non aliter excluduntur ac ceteri viri, scl. quoties certo constat eos aliqua forma impotentiae antecedentis et perpetuae laborare.

11. Iudices primae instantiae adduxerunt deinde « *gravia atque sat periculosa consectaria* » doctrinae probatorum Auctorum et iurisprudentiae Rotalis, addentes: « Hinc, cum graves sint rationes contrariae, putamus haud esse nobis ereptam aliter opinandi facultatem ». Sed ista « periculosa consectaria » deducuntur ex *falso principio*, ex errata nempe descriptione iurisprudentiae Rotalis in re de qua agitur; contendunt enim illi Iudices hanc iurisprudentiam logice reducendam esse ad illam singularem sententiam, quae sustinet semen verum esse necessario semen spermaticum seu praeditum nemaspermatibus, quoniam

testiculi nil aliud nisi haec nemaspermata producant. Hoc suppositum esse erratum, supra iam ostensum est, cum certum sit testiculos praeter nemaspermata producere etiam certam quandam seu primam quantitatem liquidi.

12. *Iurisprudentia* igitur *Rotalis*, quae innititur sana doctrina communi probatorum Auctorum, tenet tantum, ad copulam perfectam statuendam necessarium esse ut vir praeditus sit testiculis qui, neque difformes neque atrophizati, semen elaborare possint, et ut habeat canales communicantes pervios per quos semen ad extra eiaculari possit. Virum hac habilitate gaudere *praesumitur*, quae praesumptio ab experientia vitae superabundanter confirmatur. Quare nemo adigitur ut ante celebrationem matrimonii *probet* suam capacitatem emittendi secretionem testicularem. Neque post accusatam validitatem matrimonii ex capite impotentiae facienda est inquisitio microscopica liquidi eiaculati, quia a) haec lege morali est prohibita; b) quia inde ad summum *actualis* incapacitas, non autem habitualis et perpetua inhabilitas erui posset; c) quia habentur *aliae viae eaeque licitae* et magis certae ostendendi habitualem et perpetuam impotentiam effundendi verum semen, id quod ex numerosis peritiis N. S. Tribunali exhibitis clare apparet; d) quia in iudiciis ecclesiasticis non est inquirendum in naturam et *elementa biologica* liquidi eiaculati, sed unice in ipsius subiecti habitualem vel minus *capacitatem* effundendi semen testiculare.

13. Obiicitur etiam, nonnulla matrimonia, quae a coniugibus bona fide putantur esse valida, *obiective esse nulla*, si in viro ad constituendam potentiam coëundi requireretur habilitas emittendi verum semen. Inde tamen nulla oritur difficultas, quoniam idem accidit in aliis impedimentis matrimonium dirimentibus. Quot matrimonia v. g. sunt occulte invalida ob reverentialem metum qualificatum, quamvis agatur de impedimento quod quisque rudis homo facile intelligere potest, quod tamen etiam

ab eruditis et piis personis ignoratur vel negligitur. Si autem Ecclesia ob talia « gravia consectaria » non cogitat de relaxando impedimento vis et metus (quod utique fundatur in ipso iure naturae, sed ab Ecclesia accurate determinatum est) aut de abolendis aliis impedimentis iuris mere ecclesiastici quae saepius nullitatem matrimonii secumferunt, a fortiori Ecclesia non potest relaxare impedimentum impotentiae quod ipso naturae iure matrimonium dirimit.

14. Iudices primae instantiae provocant denique ad aliquod *Rescriptum S. Officii.* Utrum allegata Responsio S. Officii data sit « nonnullis Episcopis Germaniae » (ita legimus in sententia primi gradus); an « verbis data Vicario Generali Coloniensi » (sic asserunt Patres Turni antecedentis), Nos Iudices latet. At prae manibus habemus aliquam epistolam circularem, ab Episcopo Aquisgranensi anno 1935 aliis Germaniae Ordinariis missam, in qua continetur dubium aliquod S. Officio propositum et Responsio ab hac Suprema S. Congregatione data.

Praestat vero praemittere quae cl. Cappello de *vasectomia* egregie tradit. « Vasectomia — ita ille — consistit, pro viro, in hoc quod facta incisione per scrotum, resecatur canalis deferens semen a testiculis elaboratum ad vesciculas seminales, et ita semini abrumpitur via ad eiaculationem ... Vir, qui hanc operationem passus est, *verum* semen emittere nequit, licet membrum erigere, vas mulieris penetrare in eoque liquidum quoddam seu humorem aliquem aquosum a glandula *prostata* secretum emittere etiam valeat, non secus ac possunt castrati in adulta aetate ... Vir, iuxta communiorem sententiam, impotens habendus est, quia verum semen emittere amplius non potest; ad hoc enim, ut vir sit potens, requiritur, ut semen *verum* emittere in vas femineum possit ... Admissa vera impotentia ex vasectomia, impedimentum dirimens eatenus adest, quatenus antecedens sit atque *perpetua.* Porro iuxta plures, ex scientia physiologica et medica non con-

stat de perpetuitate. Quidam affirmant reintegrationem communicationis, post peractam vasectomiam, inter testiculos et canales deferentes semen, non solum fieri posse sine periculo mortis, sed esse omnino facilem et obviam. Alii aliter sentiunt. Quare *iuris* quaestio pendet a quaestione *facti*, utrum scl. impotentia sit perpetua an temporanea, seu an reintegratio sit facilis et obvia necne. Ille, de quo constat semel fuisse impotentem, probare debet se factum esse potentem. Quae probatio nullam difficultatem praesefert; sicuti enim de operatione vasectomiae constat ex attestatione medici, illius qui eam passus est, et aliorum, ita de reintegratione constat ex testimonio earumdem personarum... Ex dictis id *practice* tenendum est: a) matrimonium initum post peractam vasectomiam ut validum haberi debet, si dubitetur de perpetuitate impotentiae aut si defectus non sit *externus* et *cognoscibilis;* b) in iisdem circumstantiis, matrimonium, cum certa nullatenus sit impotentia, impediri nequit; nemo enim privari potest iure suo *certo* ineundi coniugii, nisi *certo* constet esse impotentem » (loc. cit., n. 375-379).

Haec sana principia recenti responsione S. Officii nullam passa sunt correctionem. Etenim S. Officium consulto abstinuit a responsione danda ad quaestionem *iuris*, an ad contrahendum matrimonium admitti possit vir, qui subiit vasectomiam bilateralem, totalem et *irreparabilem*, sed simpliciter declaravit, in casu sic dictae sterilizationis (quocumque modo haec fiat, sive per aliquam vasectomiam sive per aliam operationem) iniqua lege impositae, matrimonium non esse impediendum, ad mentem § 2 can. 1068, idest si adsit dubium *facti* de perfecta et insanabili impotentia. Iamvero si reintegratio potentiae viri post vasectomiam difficillima est, id non semper valet de *simplici sterilizatione* quae iniqua lege germanica introducta est. Etenim iuxta doct. M.: « La sterilizzazione tedesca consiste nella legatura del canale deferente, il quale fa seguito all'epididimo, ed è la via di uscita dello sperma dalla

glandola sessuale... Non è ammissibile che si renda nuovamente pervio il canale, se la legatura è stata fatta in modo perfetto e fissa almeno per un certo tempo. Se in qualche caso ciò non accade, si deve attribuire ad operazione male eseguita ».

15. Longae huius disputationis iuris finem facimus addendo aliquod factum maximi momenti, ad quod Iudices primi gradus animum non adverterunt. Ipsi enim *Summi Pontifices* matrimonium considerarunt ratum et non consummatum ideoque dispensationem super eo concesserunt quoties S. Rota Eis subiecit aliquem casum, in quo vir penetraverat quidem vas femineum, sed non potuerat ibi effundere verum semen, sive quia testiculi plene et insanabiliter atrophizati erant, sive quia canales semen deferentes omnino et irreparabiliter obstructi erant (cfr. elenchum harum causarum in « *Periodica* », 15 decembris 1944, pag. 216 s.). Illi Iudices agitarunt « gravia atque sat periculosa consectaria » iurisprudentiae Rotalis ab eis parum exacte descriptae, sed quid dicendum esset si singularis doctrina ab eisdem Iudicibus propugnata tenenda esset, multis verbis non est demonstrandum.

16. *In facto.* — Sententia primi gradus explicite admisit: « Virum conventum perpetua atque antecedenti incapacitate emittendi verum semen laborasse ex actis sufficienter constat ». In sententia secundae instantiae Turnus Rotalis idem proclamavit. Cum igitur factum quod spectat duae sententiae anteriores sint *conformes*, paucis verbis praestat absolvere quaestionem facti.

Actrix asserit virum, ut primum in ipsa apparuerint signa praegnationis, statim declarasse semetipsum, utpote inhabilem ad generandum, non posse esse causam huius graviditatis. « Mio marito — ait actrix — venuto a conoscenza della mancanza delle regole, mi disse: « Se questo non è un ritardo nelle tue menstruazioni, ma è indizio di gravidanza, questa non può attribuirsi ad opera mia, perchè io so che non posso aver figliuoli ». Refert insuper

actrix virum, ut omnino certiorem se redderet de sua incapacitate adhuc exsistente, adiisse medicum, a quo petierit inspectionem sui corporis. « So — prosequitur actrix — che egli si è fatto visitare, non so da chi, circa una settimana prima della separazione legale: e ciò fece, come egli mi disse, per scrupolo di coscienza, poichè, essendo passati circa venti anni dalla sua malattia, voleva avere la sicurezza di quanto egli mi aveva dichiarato al momento in cui gli manifestai l'assenza delle mie regole ».

17. Conventus ante omnia exposuit, quomodo et quando morbum venereum orchiepididymitis contraxerit. « Alla fine del 1917 — narrat vir — io soffrii di blenorragia, che mi causò un'orchioepididimite bilaterale. Quando mi accorsi di essere ammalato, fui curato prima dal mio medico, ora defunto; successivamente, non scomparendo l'infezione a causa degli strapazzi della vita militare, mi curò il Prof. L. In seguito ai rimedi ordinatimi da lui, e alle cure fatte, guarii dall'infiammazione. Però L., che aveva esaminato il mio eiaculato, mi disse che non avrei potuto aver figli. Soggiunse poi che non c'era però da disperare: forse coll'andare del tempo, le cose potevano modificarsi. Io, ripensando alle parole del dottore, alla luce di quanto in seguito è avvenuto, ritengo che L. abbia parlato così per non farmi disperare ». Deinde vir retulit se maxima cum sua admiratione a doctore M., qui mulierem inspexerat, audivisse uxorem suam esse praegnantem. « Saputo ciò — prosequitur vir — io, per accertarmi se realmente avevo riacquistata la possibilità di aver figli, mi recai dal prof. A., il quale, dopo aver visitato e fatto l'esame dell'eiaculato, mi dichiarò che io non mi trovavo assolutamente nella possibilità di generare. Tornato a casa, misi alle strette mia moglie, la quale, dopo aver in un primo tempo negato di aver avuto contatto con alcuno, finì per confessarmi tutto. Essa, in precedenza, aveva avuto dei rapporti con un certo Z., il quale abitava nella stessa pensione in cui si trovava Augusta

prima del matrimonio. Saputo come stavano le cose, io stabilii che era necessario dividerci, e subito introdussi la causa per la separazione legale ». Vir autem non solum obtinuit separationem legalem, sed insuper in causa paternitatis quoad puellam, ab uxore sua deinceps in lucem editam, in iudicio civili probavit se non posse esse patrem huius puellae, quamobrem Tribunal civile paternitatem puellae ei abiudicavit.

18. Quae partes deposuerunt, plene probata sunt, partim testium depositionibus, partim documentis. Constat in specie virum reapse morbum suum venereum contraxisse multis annis ante nuptias, atque Prof. L. confirmavit se illo tempore viro convento curationem praebuisse. Praeterea autem omnino certum est, virum conventum tunc contraxisse morbum, quo incapax redditus est ad valide contrahendum matrimonium.

19. Audiatur in primis prof. A., a quo vir paucis hebdomadibus post nuptias inspectus est. Qui medicus in sua attestatione extraiudiciali, coram Iudice ecclesiastico sub iuramento confirmata, declaravit quae sequuntur: « Alla palpazione dei testicoli e dei due epididimi si riscontra un nodulo di piccole dimensioni nella coda dell'epididimo di sinistra; e due piccoli noduli, ma più grossi di quello di sinistra, e di cui uno dolente alla pressione, nell'epididimo di destra... L'insieme dei fatti osservati e specialmente l'azoospermia totale, e i noduli epididimari bilaterali, dimostra che il soggetto ha sofferto in modo indubbio di una epididimite bilaterale quasi sicuramente di origine blenorragica, e che quindi l'azoospermia deve mettersi in rapporto colla pregressa infermità. Giudico pertanto che il soggetto è sicuramente e permanentemente infecondo ».

20. Porro prof. N. in sua peritia de mandato Tribunalis civilis exarata, et coram Iudice ecclesiastico sub fide iurisiurandi confirmata, haec habet: « Ho trovato effettivamente nell'epididimo di destra, nella porzione cau-

dale, due piccoli nodi confluenti del volume di cece ben circoscritto, durissimo, e quasi indolore alla pressione. Nell'epididimo sinistro un nodo più lungo a guisa di cordone, duro indolore alla pressione. Queste due lesioni sono indice preciso di vecchie epididimiti, sulla cui importanza relativamente alla incapacità a fecondare non cade dubbio. Questi nodi cicatriziali strozzano i dotti escretori, canali deputati a dar passaggio ai nemaspermi che partono dalla glandola testicolare (didimo) e quindi li occludono ». Hanc occlusionem esse in casu definitivam, peritus sic demonstrat: « Questa occlusione che si costituisce fin dal principio dell'attacco dell'epididimo, si fa per lo più definitiva in tutti i soggetti, a meno che la riduzione del processo sia pronta: in tal caso si può ristabilire la pervietà del canale e se ciò è il destino evolutivo della lesione, desso si compie in breve tempo, diversamente la lesione è definitiva, cioè senza speranza di ripresa ». Et quaesito: « A quando risale questa sterilità? », peritus sic respondit: « La storia del soggetto parla chiaramente: a 22 anni or sono. I caratteri dei nodi cicatriziali rilevati da me oggi sono quelli di nodi di antica data », id quod ulterius explicat. Peritus autem sic concludit: « Dal fin qui detto appare indubbio che si debba concludere che il Camillo ha una permanente impotenza a generare risalente a 22 anni or sono, quindi certamente esistente durante il tempo decorso dal 300° al 180° giorno prima della nascita della minore ». Hac peritia innixum, Tribunal civile paternitatem filiae, ab hodierna actrice natae, abiudicavit marito huius mulieris.

21. Cum istis duobus medicis omnino concordant duo periti a Tribunali ecclesiastico primae instantiae constituti. Quorum unus, Prof. B., in sua egregia et scientifica peritia inter alia multa haec tradit: « In corrispondenza dell'estremo caudale dell'epididimo destro si nota un nodulo della grossezza di un cece, di consistenza duro fibrosa, che fa corpo con l'epididimo stesso, indolente alla

palpazione. L'estremo cefalico e il corpo dell'epididimo presentano dimensioni un pò superiori alla norma e consistenza un pò aumentata. L'epididimo sinistro presenta, in corrispondenza dello estremo caudale, un nodulo allungato, a superficie irregolarmente liscia, di consistenza duro fibrosa; modicamente dolente alla pressione. Questo fa corpo con l'epididimo, che raggiunge così, nell'estremo caudale, dimensioni più che doppie della norma. Il corpo e la testa sono modicamente ingranditi, di consistenza duro fibrosa ». Peritus deinde declarat, statum morbosum viri conventi attribuendum esse epididymiti bilaterali, ortae ex blenorraghia: « I segni rivelatori di una pregressa epididimite bilaterale di origine gonococcica consistono in due voluminosi noduli, esistenti nell'estremo caudale di ambo gli epididimi, chiaramente rilevabili all'esame obbiettivo. Esistono dunque in atto tracce evidenti di una pregressa malattia venerea e precisamente di una pregressa blenorragia », id quod Peritus ulterius explicat. Porro ex condicione genitalium viri et ex arte medica Peritus hanc conficit conclusionem: « Il grado di occlusione dei noduli anzidescritti va desunto in base agli insegnamenti dell'anatomia patologica. Questa insegna che nelle epididimiti croniche di origine gonococcica si ha una neoformazione di tessuto connettivo che, coll'andare del tempo, va incontro a retrazione, sicchè il canale epididimale può andare variamente ristretto. Nei casi più comuni, che si manifestano con una limitata produzione di tessuto connettivo, si ha un modico restringimento del condotto, che non ostacola il deflusso del prodotto dei didimi per le vie sue proprie. In casi gravi, in cui la neoformazione connettivale è più abbondante e la retrazione più intensa, si ha uno strozzamento del condotto, che rimane così definitivamente occluso. All'esame clinico, in questi ultimi casi si rilevano dei moduli voluminosi, di durezza fibrosa, che sono un tutto con la coda dell'epididimo. Riferendoci ora al caso in oggetto, è ma-

nifesto che le alterazioni riscontrate nella coda degli epididimi, non possono essere comprese tra quelle di lieve entità, che restringono senza occludere il canale epididimale; la loro grossezza e durezza ci costringono invece ad ammettere una decisa gravità ostruente, tale da impedire in maniera completa il deflusso del prodotto didimale ».

Peritus autem, postquam completam et definitivam occlusionem epididymorum statuit, sincere fassus est hanc conclusionem ulterius confirmari non posse ex circumstantia, quod duo medici examini microscopico subiecerunt eiaculatum viri conventi. « Il Camillo — ita prosequitur Peritus — ha parlato di alcuni esami dell'eiaculato, eseguitigli da medici di sua fiducia, che avrebbero fatto rilevare l'assenza di nemaspermi. La Chiesa, per ovvie ragioni, non ritiene leciti esami di quel genere e pertanto i periti da Essa delegati debbono astenersi dal praticarli. Del resto, anche dal punto di vista scientifico, essi non sono probativi; difatti si può avere azoospermia per cause puramente contingenti, e siccome al medico non è possibile escludere, nel caso concreto, i fatti occasionali che determinano una assenza di nemaspermi nel liquido seminale, l'indagine cesserebbe di avere quel valore che le si vorrebbe attribuire. Gli elementi decisivi per un retto giudizio rimangono perciò circoscritti a quelli forniti dall'esame clinico ».

Prof. B. deinceps, antequam responderit ad quaesitum an illa occlusio antecesserit matrimonium, laudabiliter praemittit: « Qui entrano necessariamente in giuoco i dati anamnestici... Più che il perito, i signori Giudici sono competenti a decidere, nel caso in esame, se la testimonianza del periziando sia tale da potere riscuotere il credito necessario ». Iamvero supra (n. 18) iam dictum est assertionem viri conventi, morbum suum ortum esse multis annis ante celebrationem matrimonii controversi, seu anno 1917 vel 1918 durante servitio militari, ex ta-

bulis processualibus confirmatam esse. « In caso affermativo — prosequitur Peritus — al perito resterebbero solo da verificare se quanto asserisce il periziando, che cioè le alterazioni anatomiche degli epididimi sono conseguenza esclusiva della blenorragia da lui contratta nel 1917, sia o no contradetto dall'esame obbiettivo. Orbene, l'esame clinico non contradice tale asserzione. Gli elementi desunti dall'esame obbiettivo dimostrano in maniera non dubbia che le sue descritte alterazioni anatomiche sono di vecchia data. Ammessa dunque la attendibilità delle affermazioni del Camillo, si dovrebbe senz'altro ammettere che la sua impotenza a generare, per incapacità di eiaculare il vero seme in senso canonico, risale a data anteriore a quella in cui ha contratto matrimonio con la Signora Augusta ».

Prof. B. denique affirmat incapacitatem emittendi verum semen testiculare esse absolutam seu insanabilem. Ait nempe: « Le alterazioni anatomiche di cui sopra sono inguaribili, non essendo conosciuto alcun processo operatorio ed alcun medicamento capaci di restituire la pervietà del condotto epididimale, occluso da siffatti noduli ».

22. Substantialiter idem exponit alter peritus, Prof. C., qui in sua peritia haec habet: « Nel 1917 (vir conventus) contrasse una infezione blenorragica che durò per molto tempo e che si riacutizzò nel 1918. La malattia ebbe una complicazione, purtroppo non rara, e cioè quella di propagarsi alle glandole genitali; ebbe cioè una orchiepididimite successivamente bilaterale... I testicoli alla ispezione appaiono di volume e forma e aspetto presso a poco normale. Se però si palpano questi organi, si nota che nell'epididimo destro si riscontrano due noduli del volume di un cece vicini fra di loro e perciò quasi confluenti. Il didimo e cioè il testicolo vero e proprio ha volume ridotto e dà alla palpazione il senso di un organo che ha perduto in gran parte la sua sensibilità specifica. Anche l'epididimo sinistro ha perduto la forma e l'aspetto nor-

male poichè si è trasformato in una massa allungata dura sclerotica con diminuzione di volume e della sensibilità specifica anche del testicolo sinistro. Il signor Camillo perciò è affetto da uno degli esiti più nefasti della infezione blenorragica e precisamente di una epididimite sclerotica bilaterale permanente, inguaribile ed incurabile. Tale malattia porta come conseguenza diretta la abolizione permanente ed assoluta del passaggio dei nemaspermi dai testicoli che li producono alle vescicole seminali determinando così una impotentia generandi assoluta e permanente. La malattia risale al 1918 quando il Camillo contrasse blenorragia, e la grave tara diabetica famigliare e personale del signor Camillo stesso, ha senza alcun dubbio costituito il terreno ancor più favorevole... e non ve ne era bisogno, per il determinarsi del suddetto esito. Concludiamo quindi con l'affermare che il signor Camillo è affetto da « impotentia generandi », che la malattia fu la conseguenza diretta di una orchiepididimite blenorragica sofferta molti anni prima, e che detto stato patologico è incurabile e perciò assolutamente inguaribile ».

23. Iamvero ex allatis peritiis, quorum auctores eminent tum necessaria scientia ac debita diligentia tum religione ac fide, concludi debet virum conventum ob plenam occlusionem epididymorum, eamque antecedentem matrimonio impugnato atque insanabilem seu perpetuam, laborare illa impotentia quae « ipso naturae iure matrimonium dirimit » (can. 1068, par. 1). Neque obiiciatur non omnem epididymitem esse insanabilem. Equidem verum est virum, qui hoc morbo afficitur, aliquando curari posse et iterum capacem fieri ad eiaculandum semen testiculare; sed iste morbus, si eius apta curatio negligitur, post certam periodum, v. g. post duos vel tres menses, fit omnino insanabilis. Cfr. sententiam Rotalem diei 16 februarii 1940, n. 6 et 7, coram Wynen, ubi citati sunt loci auctorum unum et alterum asserentium. In casu autem vir conventus bilaterali epididymite affectus est tempore ser-

vitii militaris, neque tunc habuit opportunitatem sese bene curandi; interea autem decursu temporis morbus invaluit, quin ullus medicus putare possit sanationem esse adhuc possibilem.

24. Obiici potest etiam sententia Rotalis diei 29 iulii 1920, coram R. P. D. Rossetti, per quam vir ille conventus ob easdem circumstantias ac in causa praesenti declaratus fuerat impotens in perpetuum, quae tamen sententia per Turnum Rotalem diei 18 aprilis 1931 coram R. P. D. Morano infirmari debuit, quoniam deinceps vir conventus post excisionem unius testiculi quoad alterum testiculum et epididymum iterum habilis factus est ad eiaculandum semen testiculare.

Verum in casu nostro vir ob gravem diabetem, qua quoque laborat, operationi chirurgicae subiici nequit; sanatio vero illa, quae contra uniformem doctrinam auctorum et constantem experientiam accidit, est res adeo extraordinaria et inexplicabilis ipsis medicis qui virum curarunt, ut inde nihil deduci possit; denique in causis matrimonialibus nunquam fere haberi potest certitudo absoluta aut mathematica, sed solum certitudo moralis, quae sufficit ut iudicium ferri valeat.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus et definitive sententiamus:

« *Constare de matrimonii nullitate, in casu* », vetito viro transitu ad alias nuptias, seu ad dubium propositum respondemus: « Affirmative, ad primam partem; negative, ad alteram partem, idest sententiam appellatam esse confirmandam ». *Insuper actricem condemnamus ad solvendas* omnes expensas iudiciales.

Mandamus igitur Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram sententiam definitivam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, iis adhibitis exsecu-

tivis et coercitivis mediis quae magis opportuna exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae,
die 25 octobris 1945.

(sign.) Andreas Jullien, Decanus
Arcturus Wynen, Ponens
Guillelmus Heard.

(L. S.) Ex Cancellaria Trib. S. R. Rotae, die 22 nov. 1945
(sign.) Joannes M. Pinna, Notarius.

NULLITAS ACTUS IURIDICI IN CODICE I. C.

1. Quaestio maxime vexata in iure ea est quae respicit imperfectionem actus iuridici. Tot sane difficultatibus plena est ut, licet saepe multi de ea egerint, adhuc insoluta maneat. De cetero, solutionem omnino necessariam esse nemo non videt: nam ex incertitudine in hac re et usus terminorum inconstans procedit, et confusio principiorum atque idearum maxime oritur.

Iam, quaestio haec tractari potest cum in iure condito, tum in philosophia iuris. In primo casu tractatio ad hoc reducitur ut inveniatur in codice hoc vel illo, aut, si quis synthesim juris comparati facere vellet, in theoria generali juris, systema vitiorum actus iuridici implicitum; in altero casu totus labor consistet in construendo systemate absoluto, quod conceptioni philosophicae actus iuridici respondeat.

Attamen non est censendum rem primo aut altero modo separatim tractatam semper fuisse aut in posterum tractatum iri; siquidem qui quaestionem philosophice tractant, eam in iure condito confirmatam saepe volunt, et ideo systema in hoc vel illo codice implicitum etiam exponere, licet secundario modo, contendunt; qui vero de iure condito directe agunt, inde praeterea systema propriae conceptioni iuris accommodatum educere volunt, unde fit ut etiam ipsi in primum modum tractandi rem incidant.

2. Nostrum autem propositum est exponere primum brevi conspectu systemata praecipua a scientia moderna iuris civilis inventa et describere dein speciali attentione nullitatem actus iuridici in C. i. c. Igitur quaestioni studemus in iure condito et quidem canonico vigenti.

Praevia autem expositio systematum modernorum juvabit non parum ut perspicuae notiones terminorum et

conceptuum habeantur. Immo aliter eas habere impossibile foret, cum ob incertitudinem quam diximus esse adhuc in praesenti quaestione unusquisque prout vult tales notiones determinet et applicet. Sic, v. g., nos non possemus definire absolute « nullitatem », cum ab aliis ut « inexsistentia », ab aliis ut « annullabilitas », et tamen ab aliis ut quid diversum a duobus praecedentibus accipiatur.

Videamus igitur primo loco, et quidem breviter omnino, quo pacto diversi scriptores gradus imperfectionis actus intellexerint atque diviserint, ut deinde ad figuram seu speciem « nullitatis » describendam accedamus, non quasi « a priori » sed potissimum prout ex Codice nostro canonico deducitur.

3. Igitur: juxta aliquos, terminus genericus ad omnes gradus vitiorum actus juridici exprimendos dari nequit, nisi ipsum verbum commune « vitium », cujus species fundamentales sunt « nullitas » et « annullabilitas », admissis deinde aliis divisionibus secundi ordinis ob speciales respectus, ut « nullitas ipso iure » vel per viam « exceptionis »; nullitas absoluta et relativa, sanabilis vel insanabilis [1].

Pro aliis, terminus genericus habetur, nempe « inefficacia », quae species et subspecies continet: ex una parte « invaliditatem », cum desunt elementa essentialia; ex altera vero « inefficaciam » stricte sumptam, cum deficiunt extrinsecae circumstantiae. Invaliditas deinde resolvi potest in « nullitatem », penitus deficiente elemento essentiali, et in « annullabilitatem » ob imperfectionem praedicti elementi [2].

Tertio loco, pro quibusdam terminus genericus erit

---

[1] Cfr. Scialoja, « *Negozi giuridici* », 3a rist., con pref. di Riccobono (S.), Roma, 1933, p. 233 ss.; Betti, « *Istituzioni di diritto romano* », Padova, 1942, p. 179; Carrelli (L.), « *Nullità ed annullabilità* » in « *Dizion. prat. del dir. priv.* ».

[2] Sic Covielo (N.), « *Manuale di diritto civile* », Milano, 1910, p. 313 ss.; Carnelutti, « *Teoria generale del diritto* », Roma, 1940.

« invaliditas », quae sub se continet « inexsistentiam », « nullitatem », « annullabilitatem », prout actus caret elemento aliquo constitutivo, aut cum habeat omnia elementa, ea tamen carent idoneitate ad effectum producendum, vel tandem prout valeat actus sed impugnationi sit obnoxius. Hi [3] potissimum conantur dare verbo « inexsistentiae » characterem technico-iuridicum in systemate.

Sunt praeterea qui nullum terminum genericum adhibentes, loquuntur de « nullitate », quae aequivalet « inexsistentiae », de « invaliditate » quae aequivalet annullabilitati seu irregularitati, et de « inefficacia » [4]. In primo casu actus in campum iuridicum non intravit; in altero vero actus ingressus est in campum iuris sed decadere potest; in tertio, actus non intravit adhuc in campum iuris, sed intrare potest, adveniente extrinseco elemento.

Tandem ab aliis adhibetur ut terminus genericus « nullitas » quae, secundum aliquos, erit « pleni iuris » (ipso iure orta) et « iuris simpliciter » (per sententiam iudicis provocata), vel « radicalis » et simplex, prout ab initio datur aut dari deinde potest; secundum alios vero « absoluta », quae ab omnibus accusari potest, et « relativa » [5], quae ab iis tantum quibus a jure concessum est.

DOCTRINA CODICIS IURIS CANONICI

4. Ex attenta lectione canonum in quibus de impugnabilitate vel minus actus iuridici sermo est, aperte deducitur ad haec duo reduci dumtaxat gradus instabilitatis actus, videlicet: ad « nullitatem » et ad « rescindibili-

---

[3] Cfr. ROMANELLI, « *L'annullamento degli atti amministrativi* », Milano, 1939, p. 108, et auctores ibi citatos.

[4] Vide FALZEA, « *La condizione e gli elementi dell'atto giuridico* », Milano, 1941 p. 316 ss.

[5] GROSSI (E.), « *Nullità dei negozi giuridici* », Genova, 1916; CAPITANT (H.), « *Introduction à l'étude du droit civil* », Paris, 1925, p. 333.

tatem ». De rescindibilitate aliqua solummodo in fine dicemus, quia, ut credimus, non agitur in hoc casu de vitio organico ipsius actus.

Totus igitur labor in cognoscenda natura et divisione nullitatis erit. Igitur e prima paragrapho nostrae expositionis fons et character generalis nullitatis deducuntur, deinde eius divisiones tractantur, et tandem, utrum aliqua species nullitatis « inexsistentia » iuridica intelligi debeat, pervestigatur.

ORIGO SPECIFICA NULLITATIS.

5. Verbum exprimens « nullitatem » etiam invenitur « irritabilitas » [6]: sed opus est affirmare duo vocabula in Codice indistincte omnino usurpari. Id comprobari valet simplici lectione cc. 1074 § 3, 1076, 1083 § 2, 1136-7 [7].

Actus « nullus » in Codice est qui caret elementis vel aliquo ex elementis necessariis « *iure* » ad hoc ut recognoscatur. *Nullitas ergo surgit « ipso iure » et in hoc potissimum contradistinguitur a rescindibilitate*:

« Si quis motus metu gravi ... contractum inierit qui *ipso iure non sit nullus* », poterit obtinere ... contractus rescissionem « actione quae vocatur rescissoria » (c. 1684 § 1). Pariter: « Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, *electio valet*, sed ad ejus instantiam debet ... *a competente superiore irritari* ». Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est « *ipso jure nulla* » (c. 162 § 2-3).

---

[6] Aut locutiones aequivalentes: « invalidum esse », « non valere », passim. « Vim non habere » vel « vi carere » (cc. 181 § 1; 430 § 2; 534 § 1; 799.) « nulla vi pollere » (c. 1507) « effectum non habere », « effectum non sortiri » (cc. 193 § 3; 650 § 1, n. 2) « non dari » (c. 222 § 1) « nihil esse actum » (c. 171 § 3) « non esse » (cc. 765, 795), et aliae quae videri possunt apud Graf (G.), « Die leges irritantes und inhabilitantes », Paderborn. 1936, p. 39.

[7] « *Nullus* » apud latinos, ideam involvit « inexsistentiae ». Nullus=non ullus.

Sane, locutio « ipso iure » triplici sensu intelligi potest: vel quatenus fundamentum est in iure; vel quatenus ipsum ius, neglecta qualicumque activitate judicis, ab actu iuridico arripit omnem effectum, ita ut partes se habere possint tamquam si nihil conclusum fuisset; vel quatenus, dum ipsum ius operatur inefficaciam actus, activitas judicis adhuc requiritur, sed declarationis causa tantum.

Primus sensus haud specificus est nullitatis, siquidem actio rescissoria a iure et ipsa concessa est[8]; secundus vero et tertius sensus conveniunt « nullitati », prout ex Codice deducitur. Licet activitas judicis a parte cujus interest invocari debeat, id tamen nequaquam fit ad destruendum effectum formalem actus, quia talis effectus non est, sed ad *auctoritative* definiendum statum factorum, seu defectum elementorum necessariorum actus.

6. Nunc vero invocatio praedictae activitatis triplicem ob causam requiri potest: 1°) ad excipiendum contra eum qui jus aliquod ex actu nullo repetere vellet; 2°) ad incommoda in futurum praevenienda; 3°) ad alios actus ponendos relationem cum illo habentes. Horum omnium ratio fundatur in eo quod dubia et obscuritates iuris non privato marte sed ope publicae auctoritatis dirimi debent.

Igitur dum nemo iura ex actu « nullo » repetit, et pars incommoda in futurum non timet, subjecta actus sese ducere possunt perinde ac si hic positus numquam fuisset[9]. Quoad tertiam vero hypothesim aliter res se habent: etenim sic sonat c. 1069 § 2: « Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa,

---

8 In antiquo jure romano fundamentum stricte juridicum nonnisi « nullitati » erat; in constructione moderna rescissio pariter ac nullitas unum idemque fundamentum agnoscunt: jus. *Ibi* igitur actus prout jus fundaverit permanebat, licet ob aequitatem oeconomicam urgeri aliquando nequibat (D. 41, 1, 30, 3; et 50, 17, 206); *hic* e contra, valor ipse actus resolvitur, utpote qui ab ipso jure ut postea dicetur, veluti condicioni subjiciatur ab initio.

9 Nisi agatur de actibus publicae auctoritatis administrativae, v. g. quibus obsecundare privati debent antequam recursus legitimus contra valorem actus instituatur.

non ideo licet aliud contrahere antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit ».

In hoc ergo casu licet quis evidenti ratione certus sit de nullitate contractus, iudicem adire debet ad obtinendam declarationem talis facti, quandocumque aliud matrimonium inire velit[10]. Talis declaratio iudicialis duplex esse debet (c. 1986) iuxta regulam generalem, i. e., nisi adiuncta c. 1990 extent. Attamen etiam in hac materia casus dari possunt in quibus superesset activitas iudicialis; nempe, cum matrimonium nullum est ob defectum formae iuridicae. (Cfr. Pontif. Commiss. 15 octobr. 1919: AAS, 1919, p. 479). Haec proinde nota specificativa est nullitatis, quod sit « *ipso iure* », sive sanabilis sive insanabilis, sive absoluta sive relativa, initialis vel successiva, originaria vel derivata.

Divisio nullitatis.

7. Nullitas esse potest: a) *Initialis et successiva*. Illa impedit quominus actus ab initio aliquid valeat; haec seu successiva afficit actum nullum, postquam valide inceperat exsistere, et provocatur ab aliquo facto vel circumstantia superveniente. Iuxta theoriam generalem inde a iure romano, exemplum pacifice[11] ab omnibus admissum datur in testamento: vid. cum quis, iure habilis ad testandum, conficit validum testamentum: at deinde plectitur aliqua poena quam si incurrisset ab initio, incapax fuisset testamenti subiectum (cfr. artic. 33 cod. civ. ital.). In hoc casu, siquidem effectus formalis testamenti adhuc non est,

[10] Ratio in bono sacramenti fundatur: quod procurare atque tutari directe interest publicae auctoritatis Ecclesiae.

[11] De multis aliis exemplis disputatur; ut etiam de fixanda regula doctrinali; nam contra illud: « quae in eam causam pervenerunt a qua incipere non poterant, pro non scriptis habeantur » (D. 34, 8, 3, 2) habetur: « non est novum ut quae semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit a quo initium capere non potuerunt » (D. 51, 17, 85, 1).

proprie non de annullatione, sed de nullitate actus, successiva quidem, sermonem instituunt theorici iuris [12].

In iure Codicis eiusmodi « nullitas » successiva dari non videtur nisi quatenus canonizantur normae quorundam institutorum codicis civilis in territorio vigentis (cfr. c. 1529); nisi quis ut nullitatem successivam considerare velit eam de qua in c. 1850 § 3 [13]; ibi scilicet edicitur reum declarata contumacia actoris ius habere petendi ut acta processus eo usque gesta nulla habeantur; sed tunc de rescindibilitate, potius quam de nullitate superveniente ageretur.

8. b) *Originaria et derivata.* Originaria nullitas oritur ex defectu in ipso actu; derivata, ex nullitate alterius actus praecedentis vel subsequentis a quibus ille dependet. Sane, ut secunda aliquatenus explicetur, actus non tantum elementa suae individuae constitutionis, verum et alios actus ut praesupposita sive condiciones sui ipsius rationis postulare potest. Non agitur quidem in hac secunda hypothesi de his quae vocari possent requisita: ut essent v. g. pro sententia iudiciali competentia absoluta iudicis, capacitas partis; nam licet ab his derivetur nullitas sententiae, non sunt haec actus individui praesupposita. Si autem diceres quod competentia actu iuridico etiam adquiritur, et sic talis actus praesuppositum foret sententiae, non tamen haberetur hoc modo specifica illa derivatio de qua in iure generatim sermo fit.

Praesens divisio explicite stabilitur in c. 1680 § 2 [14].

---

12 Cfr. D. 34, 8, 3, 2; Ferrini, « *Opere* », III (Milano, 1929) p. 357 ss. — Quod vocari debeat nullitas successiva ea quae ex non adimpleta condicione resultat, pluribus non placet (licet Winscheid, Pandette § 71, n. 11 e contra id propugnet), quia inadimpletio condicionis proprie actum perfectum non supponit; actus condicionatus condicioni quoad suum valorem, totus devincitur.

13 « Reus autem exinde jus habet petendi ut vel libere possit a judicio abire vel nulla habeantur omnia eo usque gesta ... ».

14 « Nullitas alicujus actus non importat nullitatem actuum quae praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent ».

Quo pacto autem derivata in concretis casibus deduci vel propugnari debeat, non adeo facile noscitur. Ut plurimum liceat affirmare eam a iure sive explicite sive implicite stabiliri debere, utpote quae in iure positivo potissimum concipiatur (c. 167 § 2); exempla desumi possunt ex cc. 1894 n. 1 et 113. In primo asseritur sententiam vitiari ob citationem nullam; in secundo sustinetur interdependentia incardinationem inter et excardinationem clerici. Statim vero notari oportet in secundo exemplo potius quam de nullitate derivata agi de nullitate ob defectum condicionis iuris, quae originaria est. Inde est quod nullitas derivata stricto sensu extra processum non videatur inveniri.

9. c) *Sanabilis et insanabilis.* Nullitas sanabilis sine repetitione actus disparere potest; insanabilis vero nullo remedio suffragatur, ita ut actus tanquam si non fuisset repeti debeat. Iamvero, in C. i. c. triplicis generis sanatio actus distinguitur, videlicet sanatio in radice (c. 1138 ss.), quae a legislatore tantum obtineri potest; sanatio simplex (c. 1894) verificanda a determinata persona, quae tamen actum sanandum non fecerat; et tandem ea quae dicitur confirmatio sive ex parte ipsius subiecti agentis, sive ex parte alterius cui favor iuris est. Titulus nostrae divisionis respicit tantum secundam speciem sanabilitatis. Prima enim exceptionalis est, tertia ad rescindibilitatem refertur.

Igitur nullitas sanabilis et insanabilis conveniunt in eo quod ambae radicales sunt seu incipiunt esse cum ipsa efformatione actus; ideo de vera nullitate in unoquoque casu sermo est. Ergo, quidquid sit de theoriis interpretum iuris civilis, nos, habita ratione non solum terminologiae, sed etiam spiritus canonum nostri Codicis, « annullabilitatem » quasi quid intermedium nullitatem inter et rescindibilitatem admittere nequimus. Sane, deficientibus citatione legitima vel subscriptionibus debitis, sententia effectum suum non producit et quidem sive ante sive post

declarationem nullitatis eiusdem. Si deinde defectus supplentur, tunc tantum incipiet efficacia actus. Diceretur sententiam seu actum quasi condicioni iuris suspensivae, non vero resolutivae subiacere. Hinc est quod, in casu instantiae partis, iudex non destruat actum, sed *declaret* eum nullum.

Distinguuntur vero ambae species nullitatis eo quod in alia defectus minoris momenti, suppleri aut praetermitti a parte cuius interest possint, in alia vero id minime permittatur.

Concluditur proinde non esse quid proprium *nullitatis* insanabilitatem. Plene id constat sive ex ipsa eadem voce usurpata etiam in casibus nullitatis sanabilis et ex modo loquendi ubi canones rescissorii ordinantur: c. 103 § 2 « actus positi ex metu gravi sed iniuste incusso vel ex dolo *valent*... sed possunt per iudicis sententiam rescindi; c. 1687 « ... ex negotio seu actu *valido* rescindibili; c. 162 § 2 « electio valet sed ad instantiam debet ... a competente Superiore irritari ». Igitur in casibus *nullitatis,* cuiuscumque generis haec sit, actus non valet ipso iure et consequenter inde ab initio.

10. Non defuit quidam peritus iuris civilis qui [15] contra assertiones fere omnium interpretum, diceret « annullabilitatem » per contrapositionem ad rescindibilitatem invaliditatem realem importare, quae requireret sanationem per actum positivum, nempe licet apparenter validitatem usque ad sententiam iudicis illa saperet; in qua annullabilitate includebantur casus doli, metus, erroris. Codex noster, certe, hos casus inter rescindibiles annumerat, sed cum illa conceptione convenit quoad sensum sanationis, qua suppletur elementum deficiens, seu ponitur illa quasi condicio quae suspendebat efficaciam actus.

Certum est regulam nullitatis in theoria generali esse

---

15 PIGA (EMM.) « *Nuovo Digesto italiano* », verbum « NULLITÀ ».

insanabilitatem [16]; sed cum admittitur, ut in systemate canonico, praevalentia voluntatis in efformatione actus, contra logicam iuris sensu supra dicto haud est sanabilitas de qua loquimur. Profecto, eodem fundamento nititur ac sanabilitas in radice. Legislator enim qui sollemnitates actus per se immediate dispensare potest, ita ut actus nullus tunc primum valere incipiat, id idem praestare poterit mediantibus privatis personis.

Discrimen istiusmodi sanabilitatis a confirmabilitate actus rescindibilis aperte igitur clarescit; nam in confirmatione haud dispensatur vel suppletur quidquam a parte cui favor est impugnandi actum; ea consistit non in aliquo actu positivo relate ad constitutionem negotii, sed in mero actu renuntiandi favori impugnandi illud. Actus in casu integer est iuridice; nihilominus, eo quod damnum personae privatae obvenerit, destrui concessione iuris potest. In casu nullitatis sanabilis aliter res se habet: actus nullus est iuridice, sed a persona privata per concessionem iuris validus nunc fieri potest.

11. *Quando sit sanabilis « nullitas » in Codice.* Casus explicitus habetur in c. 1894. Talis enim dicitur sententia iudicialis determinatis requisitis carens. Ibi pars, adventu suo spontaneo in iudicium, vel nihili defectus aliquarum formalitatum aestimando, sententiam validam efficit.

Casus vero non expressos in Codice haud facile est invenire. Cum autem fere maior difficultas in dignoscendo charactere nullitatis actus alienationis bonorum ecclesiasticorum absque licentia Superioris facta habeatur, aliquantisper in hac quaestione immorabimur.

Duae voluntates in praefata alienatione intervenire debent: personae alienantis nempe, et superioris licentiam concedentis. At voluntas superioris contractum certe

---

[16] Sic principium romanum « Quod ab initio vitiosum est non potest tractu temporis convalescere » (D. 50, 17, 29), unde desumpta est reg. Iur. 18 in 6º « Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit ».

non efficit, quia subiectum proprietatis rei alienandae non est. Superior enim limitem seu obstaculum dumtaxat removet ad hoc ut alienatio a subiecto, seu domino rei, verificari queat. Venit nunc quaestio: an iste defectus licentiae seu remotionis obstaculi nullitatem sanabilem vel insanabilem provocet.

Statim notetur quod casus, in hypothesi huius sanabilitatis, singularitatem ferret; siquidem sanatio tunc non penderet a voluntate personae auctoris actus principalis, seu alienantis, sed a voluntate personae removentis limitem impositum voluntati alienanti. Aliis verbis: sumus in casu alicuius actus qui praesuppositum constituit relate ad alium actum; et ponendus est non ab alienante vel Superiore eius reliquisve personis quibus ius impugnationis est (c. 1534 § 2), sed ab auctoritate administrativa (c. 1532).

Ut directe iam quaestionem attingamus, iuxta theoriam generalem iuris sanationem praedictae nullitatis repugnare nobis non videtur. Cum enim agatur de actu autonomo et extrinseco actui alienationis, nihil vetat quominus licentia successive adveniens alienationem efficacem reddat. Certum est, de ratihabitione tunc sermonem fieri debere potius quam de licentia; tamen de hoc praecise quaestio movetur, utrum nempe ratihabitio possibilis sit. Et quidem positivam partem amplectimur ea potissimum innixi ratione, quod talis possibilitas, potius quam ex pura et formali theoria iuris, ex fine practico publicae administrationis aestimanda sit, qui finis ratihabitione obtineri plene valet.

12. *Ius positivum hac in re.* Contra sanabilitatem plures allegantur rationes: A) In vetere iure de sanabilitate horum actuum expresse in lege constabat[17]; in novo autem Codice ne verbum quidem de sanatione eiusmodi continetur; iam vero, ut supra dictum manet, insanabilitas

---

[17] C. 3, X, 3, 10.

regula generalis est nullitatis; immo nullitas, nisi ea quae expresse sanabilis dicitur, in reliquo Codice, si nostrum casum disputatum excipias, non invenitur.

B) Licet verum sit sanabilitatem in casu nostro non reici explicite, certe vero implicite, *quia* nulla praescriptio, ut solet, stabilita est relate ad eam; *quia* poenis latae sententiae plectitur quis simul atque alienationes, praetermissa scienter licentia, faciat, (c. 2347 n. 3); *quia* in c. 534 praescribitur ut licentia antecedat actui alienationis.

C) Tandem allegatur responsio negativa S. C. C.[18] ad quaestionem: « an loci Ordinarii v. c. 1532 sanare valeant peractas sine debita licentia alienationes bonorum ecclesiasticorum quorum valor excedat 30.000 libellarum ».

13. Pro sanabilitate autem ex puro iure Codicis sequentia afferimus argumenta, maxime ut opinamur, sententiam oppositam debilitantia:

A) Cum ex natura rei, ut vidimus, non repugnet sanatio haec *singularis*, — locum nempe habens ob superveniens elementum vel praesuppositum, actui intrinsecum — quae potius ex fine obtinendo publicae administrationis, quam ex formali theoria iuris dimetienda videtur, opus non est ut in textu ipso canonico exprimatur praefata possibilitas sanationis; hinc nisi affirmetur expresse insanabilitas in casu, contrario modo atque cum de ordinaria nullitate diximus, sustineri debet sanabilitas *per se* huius nullitatis. Nec obstat quominus agatur de nullitate « ipso iure »; cum id velit dicere tantum quod voluntas Superioris a nullo privato suppleri valeat, et consequenter si deest absolute, actus remedium non habeat, non vero quod ea successive inutiliter accedat.

B) Ratio opposita quod tempus praescriptionis pro sanabilitate in casu non sit, non multum valet, quia, ut dictum est, hic agitur de sanabilitate sensu non univoco

---

[18] Die 17 maii 1919 (AAS. XI, (1919), p. 386).

cum sanatione alibi et generatim intellecta. Porro hic non sanat is qui impugnare potest, *cui tempus limitatum conceditur* semper, sed Superior administrationis, qui dum actus impugnatus non est, ei adhaerere absolute poterit. Aliis verbis: cum asseritur alienationem nullam absque licentia antecedenti sanari, non dicitur ipsis terminis sine alio contractum posse unquam valere, seu quod idem est, convalidari *sola* elementa formalia exsistentia, in quo consisteret stricta sanatio, sed affirmatur simpliciter aliquod elementum utiliter advenire posse subsequenti tempore. Inde apertissime sequitur cur praescriptio sensum habeat si et quando agitur de sanatione stricta, non vero in casu nostro.

C) Nec ratio quod quis plectatur poena l. s. ob praetermissam licentiam nimis urgeri valet, cum quia poena cum sanatione non pugnat, tum maxime quia praetermissa licentia, non tantum ante alienationem, sed etiam successiva intelligi potest.

D) Quoad verbum « antecesserit » (c. 534).

Praecipere quod licentia antecedat non praeiudicat quaestionem de sanabilitate vel minus actus, pariter ac nec verbum « nullus »; sane, debet praecedere licentia, secus alienatio est nulla; sed quo pacto sequatur quod sanari nequeat, nullo modo apparet.

E) Tandem liceat animadvertere Responsum S. C. C., supra memoratum, characterem interpretationis authenticae canonum non induere ob incompetentiam eiusdem S. C. et deficiente alia ex parte confirmatione specifica SSmi. Igitur post hoc responsum alienationes factae sine licentia sanari in radice generatim ex tali practica declaratione debent; sed praeterquam quod fortasse nimis implicite praecipiatur a S. C., si quis quacumque ex causa illam sanationem in radice non procuravit atque difficultates surgunt eandem obtinendi, non videtur debere de validitate suae alienationis dubitare dummodo advenerit saltem successiva ratihabitio Ordinarii.

F) Cum hac doctrina concordat tota omnino iurisprudentia civilis et fere omnes quidem praestantiores cultores theoriae iuris. Pro omnibus Piga (E.) « Nuovo Digesto Italiano » verbum « nullitas »; Covielo (N.) « Manuale ...», cit. p. 334; Ruggero, « Istituzioni di diritto civile » etiam cit. I, p. 298.

14. d) *Nullitas absoluta et relativa.* In systematibus civilibus generatim absoluta nullitas ea dicitur quae ratione boni publici oritur, relativa vero quae ratione boni privati. Illa dein insanabilis generatim, haec sanabilis est: immo quae sanabilis est, ideo « annullabilitas » ab aliis vocatur per oppositionem ad absolutam, quae sola per se et proprie « nullitas » intelligitur.

C. i. c. cum canonizat leges civiles de contractibus (c. 1529) his systematibus ut plurimum sese accommodare censetur saltem quoad regimen impugnationis; prout autem peculiarem ipse disciplinam redigit, proprium systema innuit. Sane « annullabilitas » ex suo conceptu in utilitatem privatam stabilitur. Ius ipsum per se actum non invalidat sed praebet dumtaxat parti laesae possibilitatem agendi contra actum ope iudicis. Verum diximus hos omnes casus — metus, doli, erroris — C. i. c. ad rescindibilitatem referendos esse[19]; igitur rescindibilitas iuribus favet privatis. Quid iam de nullitate?

Ea respicere videtur primarie utilitatem publicam. Etiamsi ergo sanabilis sit, stabilita semper est ob defectum formalitatum vel praesuppositorum requisitorum pro recto ordine sociali et communi. Ideo in C. i. c. non potest stabiliri illa correspondentia civilis supradicta. Profecto, eisdem cc. 1534 et 1897 regulatur interpositio cuiuscumque querelae nullitatis quoad personas ad id ius habentes; et in utraque hypothesi, sanabilis vel insanabilis nullitatis, intervenire potest persona publica (ibid.).

---

[19] Certum est dari exceptiones in cc. 1087, 169 § 1, 1095 § 1 n. 3, etc.; sed hic rescindibilitas conversa fuit in nullitatem potissimum ob respectus ordinis publici subiectae materiae.

Altera ex parte aliqua distinctio agnosci debet inter nullitatem absolutam et relativam in Codice ea de causa quod nullitas sit externe cognita vel cognoscibilis (cfr. v. g. c. 1971 § 1 n. 2). Ergo aliud est quod nullitas stabilita sit ob bonum publicum; aliud, quod eius declaratio intersit semper boni publici. Sicut enim rescissio de facto non semper interest boni privati, unde accedit confirmatio, ita nullitatis declaratio de facto non semper interest boni publici, et tunc ex « officio » ea non petitur (c. 1682). En igitur aliqua restrictio quoad impugnabilitatem nullitatis.

Nullitas et inexsistentia actus iuridici

15. Licet primo intuitu momentum in iure Codicis et pro cultoribus huius iuris haud habere videatur quaestio utrum et quae sit « inexsistentia » iuridica actuum, re autem attente considerata contrarium tenendum est, cum ut appareat conceptus iuridicos in scientia canonica curari, tum ut regimen ipsorum actuum qui dicuntur « nulli », diversum in diversis institutis, sufficienter intelligatur.

Actus inexsistens iuridice ille est qui caret elementis essentialibus; « nullus », qui caret requisitis a lege stabilitis ut essentia illa efficax in iure reddatur .

Profecto aliquid commune in ambabus hypothesibus habetur, scilicet, defectus efficaciae formalis. Igitur ut exemplo utar, vinculum matrimoniale pariter abest cum deficit consensus matrimonialis (essentia) ac cum deficit forma iuridica, habilitas contrahentium etc. (requisita legis). Ex hac ratione Codex idem verbum in utroque casu usurpat: «nullitas ». Quod vero in se illae duae figurae discrimina profunda prae se ferant, nemo non videt: aliud est essentia sive naturali sive positivo iure constituta, aliud sollemnitates quantumcumque necessariae ad bonum sociale. In primo casu efficacia absolute repugnat; hinc

nulla species sanationis sensum ibi haberet; in secundo efficacia non repugnat, sed impeditur.

Dicetur quod in nullitate ita sensu stricto considerata remanet, relate ad actum, factum mere materiale, « corpus sine anima » (Windscheid, I, § 82, n. 2), nihil autem iuridicum. Merito responderi potest, praeterquam quod a civilistis considerantur « conversio », quae dicitur, « negotii » aliique effectus indirecti [20], ipsam potentiam producendi effectum directum esse aliquid ad ius pertinens, ideoque non despiciendum. Sit exemplum comparativum: Alienatio rei non propriae nulla est; attamen ex consensu subsequenti veri proprietarii obtinet valorem iuridicum plenum. Sed veniamus ad Codicem ipsum.

Ex c. 1139 « Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficienti sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici, vel ob defectum legitimae formae potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret » deducitur duplex nullitas in re matrimoniali: alia sanabilis, insanabilis altera. Et quidem una oritur ex defectu requisiti legis, alia ex defectu elementi essentialis.

Matrimonium sanabile relate ad ius aliquid evidenter significat, attentis verbis « sanabili » et « in radice ». Sanatur iuridice quod iuridice exsistit; radix importat elementa subiectiva quorum concursum ipsum ius necessario requirit. Igitur dum effectus formalis deest, non ideo omnia elementa actui necessaria, seu actus simpliciter desunt; nisi velimus dicere actum non aliud esse quam effectus, quod absonum est; nam actus primario est causa effectus iuridici [21].

---

[20] Cfr. Covielo, « *Manuale ...* » p. 330; Scialoja, « *Negozi giuridici* », 4a rist. Roma, 1938, p. 234.

[21] Optime ad rem Baston, « Concordance des lois civiles et des lois ecclésiastiques de France touchant le mariage », Paris, 1924, p. 332: « Le ressort existe mais il est comprimé. Si la suspension cesse ou par une dispense ou par autre moyen, à l'instant le mariage qui fu nul devient valide ».

Proinde iuvat aestimare actum « inexsistentem » iuridice, cum deficit causa sive efficiens sive formalis sive materialis, v. g. in re matrimoniali, si deficit consensus (causa simul efficiens et formalis[22]; si deficit diversitas sexus vel aptitudo ad copulam (causa materialis, seu obiectum contractus); in his casibus coram societate revera nihil sive actuale sive potentiale effectum est. Extra has vero hypotheses actus tantum inefficax seu nullus (quoad effectus=nullus effectus) proprie dicendus est.

Iuxta ea quae diximus nobis patet sensus verborum « quae actum ipsum essentialiter constituunt » c. 1680 § 1. Sunt scilicet ea sine quibus actus concipi nequit, non eae formalitates sive requisita quae egent praescriptione legis ut impedientia sint effectuum.

Haud certe sumere iuvat elementa essentialia pro iis tantum quae iuris naturalis sunt; sane instituta iuris positivi ecclesiastici plurima in Codice agnoscuntur; quae proinde causam formalem seu essentiam ab eodem iure repetunt. In isto casu essentia licet sit iuris positivi, ut patet, non in secunda sed in prima parte c. 1680 § 1 includenda est, indeque et contradistinguenda a sollemniis et condicionibus canonicis. Sic, v. g., emissio publica paupertatis, castitatis et obedientiae haud sollemne quid vel condicio est, sed essentia religionis quantumque positive ab Ecclesia determinata. Hinc publicitas votorum in prima parte c. 1680 § 1 ingreditur, per oppositionem ad illa requisita professionis prout in c. 572, quae in altera parte collocanda erunt.

16. Aliqui vellent extendere « inexsistentiam » in re matrimoniali speciatim ad casum in quo deficit forma iuridica celebrationis matrimonii[23]. Nituntur potissimum c. 1990, ex quo exclusa deducitur ab omni processu iudiciali declaratio nullitatis matrimonii ob defectum for-

---

[22] Wernz, *Jus Decretalium*, IV, Romae, 1904, pp. 221-2.

[23] Cfr. pro omnibus Johnson, « *De natura processuum matrimonialium exceptorum* » in « Apollinaris » IX (1936) 380.

mae (Toletus). Quae exclusio deinde confirmata est in Resp. Pont. Comm. pro interpret. Codicis d. 16 oct. 1919 [24]. Iuxta illam conceptionem forma matrimonii esset forma actui intrinseca quae « dat esse rei » [25].

Opponendum vero est principium « forma dat esse rei » valere de forma in sensu philosophico, seu de forma quae est causa rei interna. De forma autem iuridica matrimonii ita loquitur Wernz: « Qua nova forma tridentina non obstante consensus sponsorum mansit vera et unica causa efficiens vinculi matrimonialis, nequaquam vero parochus sua declaratione sponsos nomine et auctoritate Ecclesiae coniunxit. Illa enim forma est solummodo sollemnitas extrinseca ut condicio essentialiter requisita sine qua consensus sponsorum non est iuridice efficax ad producendum vinculum matrimoniale » [26].

17. Exinde iuvat notare discrimen quod in hac parte nos separat a conceptione civili. Sic v. gr. in art. 107 cod. civ. ital. definitio formalis matrimonii reponitur in duabus declarationibus voluntatis; alia ex parte contrahentium, alia ex parte personae publicae assistentis. Immo, Cicu, in suo opere « Diritto di famiglia » [27] affirmat, non declarationem mutuam partium sed actum unilateralem personae publicae constituere matrimonium in suo esse iuridico. Nos utrumque reicimus, quia matrimonium in vero consensu, (non mera declaratione) partium dumtaxat formaliter consistit. Igitur dum possibile est matrimonium existere sine interventu auctoritatis socialis, id numquam fieri potest sine consensu partium, quia rem dari absque essentia repugnat. Proinde secundum praefatam theoriam civilem, quia matrimonii essentia consistit in forma iuridica contractus, sine ea forma logice inexistens appellatur; attamen secundum veram theoriam, seu

---

[24] AAS. XI (1919) 470.

[25] F. S., « *De sollemnitatibus actuum iuridicorum* » in « Periodica de re mor. can. lit. »; XVII (1928) 161 nota.

[26] « *Ius decretalium* » IV, cit., p. 221-2.

[27] Roma, 1914, p. 237.

canonicam, de inexistentia in pari casu sermo esse nequit, quia non deesset tunc nisi requisitum extrinsecum quod eis qualitatibus personam habilitantibus ad contrahendum quoad hanc partem omnino aequiparatur.

Rescindibilitas

18. Quamquam rescindibilitas gradum aliquem in systemate nullitatis non constituat, tamen ut plenius tota materia enucleetur, pauca saltem de ea addere directe oportet.

Systema C. i. c. in hac re discriminatur tum a iure romano — ut plurimum classico, etiam, forma dicendi saltem, iustinianeo — tum a iure civili moderno prout non semel innuimus. In illo actus vel nullus est et quidem semper, utpote inexistens [28], vel validus et tunc nunquam resolutioni obnoxius: quia praetor exceptionibus aliisque remediis iuri civili tantum quoad efficaciam resistebat, nequaquam vero quoad suam constitutionem formalem.

In theoria civili moderna quae influxum iurium et libertatum personae individuae inde a saeculo XVIII passa est, actus iuridicus organice in suis constitutivis, maxime subiectivis respicitur. Inde non tantum voluntas et intellectus agentis substantialia habentur, sed etiam harum facultatum plena spontaneitas attenditur. Ex hoc postremo defectu annullabilitas seu nullitas relativa in systemate vitiorum actus inducta est. Hinc rescissioni, quae a scientia iuris communis et canonici elaborata fuerat ad aequitatem obiectivam obtinendam, in his codicibus modernis sat brevis applicatio relicta est.

---

[28] Ita Wengrer, L. loquens in suo opere « *Istituzioni di procedura civile romana* », trad. da Orestano, R., Milano, 1938, p. 208 de sententia sine requisitis juris: « Allora non era da dirsi que se fosse in presenza di una sentenza ingiusta, perchè non era stata data alcuna sentenza al modo stesso che il negotium nullum non è da intendersi come un negozio esistente con l'attributo « nullo », ma come un negozio « inesistente ».

In Codice nostro canonico una ex parte praeter figuram nullitatis vi ipsius iuris datur secus ac in iure romano nimis formali et rigido, rescindibilitas actus. Altera ex parte aliter ac in iure civili, nimis personae individuae theoretice saltem quoad hanc doctrinam indulgente, non datur annullabilitas proprio sensu ut gradus inter nullitatem et rescindibilitatem [29], sed actus qui nulli non fuerunt, etsi aliquo vitio affecti, v. g. metus, doli, erroris, ad rescindibilitatem dumtaxat trahi iubentur. Actui tunc in sua constitutione nihil omnino deest; elementa subiectiva sufficientia sunt, licet spontaneitas vel cognitio accidentalis desint, exceptis casibus positive distinctis. Unum tantum remedium datur, videlicet resolutio actus ratione obiectiva, i. e. iniuriae vel damni resarciendi causa. Cfr. cc. 104, 1684, 153 § 3, 162 § 2 [30].

Conclusio.

Liceat iam ex praecedenti expositione has circa imperfectiones actus iuridici assertiones deducere.

1° In C. i. c. unus tantum specificus gradus imperfectionis actus agnoscitur, nempe « nullitas ». Sermo esse non potest de « annullabilitate », quae consistat in eo quod licet actus vitio intrinseco laboret, efficax tamen sit dummodo non impugnetur; nam actus in C. i. c. aut validus, — rescindibilis ille sit vel non — aut invalidus est. Si validus, etiam ille rescindibilis nullum vitium intrinsecum habet. Rescindibilitas enim fundatur potissimum in iniustitia obiectiva, non autem in defectu constitutivo huius ipsius actus. Si invalidus est actus, semper iure id evenit,

---

[29] Compara v. g. articulos 1425-1443 cum 1447-1448 in cod. civ. ital.

[30] Ex dictis non videtur posse confundi annullabilitatem cum rescindibilitate ut saepe fit. Cfr. cl. Michiels, « Principia generalia de personis in Ecclesia », Lublin-Polonia, 1932, p. 493. Ait v. g. « III. Actus rescindibilis seu annullabilis ». « Actus rescindibilis seu annullabilis in genere est ... ».

non autem ope impugnationis et actionis destructivae iudicis.

Merito igitur declaramus « nullitatem » in C. i. c. esse talem « ipso iure », seu oriri vi legis, quia eo ipso « annullabilitas » exclusa est.

Inde etiam sequitur quod quamquam « nullitates sanabiles et relativae sint in Codice: « semper tamen ipso iure radicales omnes sunt, quae declaratione dumtaxat iudiciali revelantur, non vero exinde statuuntur.

2º Quod divisiones « nullitatis » attinet ex textibus Codicis i. c. examinatis haec quae sequuntur facile deduci possunt:

a) Ne unum quidem exemplum specificum et strictum « nullitatis » quae appellatur « successiva » habetur nisi in illa materia iuris, ubi canonizantur normae Codicis civilis.

b) Nullitas quae dicitur «derivata » in processu tantum videtur admittenda, et quidem ut plurimum expressa.

c) Quoad sanabilem autem et insanabilem nullitatem, siquidem sanatio illa, quae aequivalet confirmationi actus in casibus rescindibilitatis locum tantum habet, « sanabilis nullitas » intelligitur dumtaxat cum sanatio pendet non a persona quae actum fecerat, sed ab alia; et quidem, e contra atque in rescindibilitate, non vi confirmationis elementorum praeexistentium sed suppletionis elementi deficientis. Hinc patet quod divisio nullitatis in sanabilem et insanabilem non secumfert eandem illam « duplicem speciem imperfectionis actus, « nullitatis » nempe et « annullabilitatis », nam omni in casu invaliditas actus *radicalis* habetur.

Immorati sumus aliquantulum in penetranda natura nullitatis in casu alienationis bonorum ecclesiasticorum, sive licentia debetur ad hoc ut vexatus iste casus illustraretur, utpote qui exemplum peculiare, fortasse unicum, sanabilitatis implicite in C. i. c. constituit.

d) Nullitas absoluta et relativa in C. i. c. dantur; tamen « relativa » multum differt ab ea quae hoc nomine in campo civili solet vocari. Sane in campo civili ea est iuris privati, sanabilis, atque ideo annullabilitati aequivalens; in C. i. c. nullitas relativa his characteribus praedita non est.

3. Utrum « nullitas » in Codice i. c. concipiatur ut inexistentia iuridica actus, aut potius ut « inefficacia » quaestio valde discussa est. Hic conclusimus agi de inexistentia iuridica cum deficit essentia formalis actus; non vero cum deficiunt sollemnitates positivae vel condiciones iuris. Siquidem in altera hypothesi sanabilitas « in radice » obtineri potest.

O. Robleda, S. I.

DE COTIDIANA OFFICII HORARUM COMPOSITIONE

Duae res in officio horarum altera ab altera distinguendae sunt: hinc totius officii ex octo horis, singularum vero horarum e psalmis, canticis, antiphonis, doxologiis, versibus, lectionibus, responsoriis, orationibus, precibus, aliisque formulis propria *constitutio;* illinc officii singularumque horarum *compositio,* cum eaedem partes aliter atque aliter ad tempus referantur, modo cotidianae sint, modo de die vel de tempore, modo de feria vel de festo; seu aliis atque aliis e fontibus sumantur, modo ex ordinario, modo e psalterio, modo e proprio vel communi.

Hac nostra officii descriptione illi quidem iuvari poterunt quibus in singulis dioecesibus sive religiosis institutis cura committitur quotannis ordinem officii ac missae concinnandi. Optandum namque est ut hi omnes paulatim eam rationem tenere consuescant quae adhuc quorundam tantum est, ut ipsi ordini praeponatur, praeter alia, plus minusve utilia, schematica quaedam diversorum officii typorum descriptio, ad quam brevitatis ac perspicuitatis causa referantur singulares cotidiani officii descriptiones.

Praecipuum nihilo minus consilium nostrum fuit ipsis officii piis recitatoribus subvenire, quibus placeat non solum suo munere submisse fideliterque fungi, etsi parum scite, sed etiam quid agant ad sobrietatem sapere, seu intellegere e quibus ac qualibus partibus diversa horarum officia constent. Facillime namque accidit ut qui officium private recitat, etiam post complures annos, plane illud ignoret. Nec tamen desunt sacerdotes vel clerici quorum devotio meliore quadam rerum scientia nutriatur atque augeatur.

I. OFFICIUM DOMINICALE

Officium dominicale fit diebus dominicis quibus non est celebrandum aliquod officium festivum, sed officium fit « de ea »; vel etiam in sabbato, si quando est eo die anticipandum

Officium dominicale est semiduplex, excepto officio dominicae in Albis, quod est duplex (maius).

Per annum. *In ipsa dominica.*

Ad vesperas sabbati. — Officium dominicale, salvis normis de occurrentia officiorum, binas habet vesperas duoque completoria; pro 1. autem vesperis ac 1. completorio sunt vesperae ac completorium sabbati. — Harum vesperarum psalmi, antiphonae, capitulum, hymnus, versus sunt de sabbato, e psalterio. — Conclusio autem hymni, in hac hora et in ceteris, est vel communis, e psalterio, vel specialis, e proprio. — Antiphona ad *Magnificat* de die, e proprio, praeterquam sabbatis ante dominicas II-VI post Epiphaniam, in quibus est de sabbato, e psalterio (*Suscepit Deus*). Oratio de die, e proprio. — Antiphonae, versus, orationes commemorationum, in hac hora et in ceteris omnibus, sunt e propriis vel e communibus. — Fit suffragium de omnibus sanctis, ex ordinario, nisi fit commemoratio cuiusvis duplicis vel octavae.

Ad completorium sabbati. — Psalmi et antiphonae de sabbato, e psalterio. — Preces dicuntur, ex ordinario, nisi ad vesperas facta est commemoratio alicuius duplicis vel octavae.

Ad matutinum. — Tres nocturni ternorum psalmorum, antiphonarum, lectionum, responsoriorum, singulorum vero versuum. Loco 9. responsorii tamen dicitur semper *Te Deum*, ex ordinario, translata doxologia *Gloria Patri* in 2. responsorium, cum iteratione responsi. — Invitatorium, hymnus, psalmi, antiphonae, versus sunt de dominica, e psalterio. — Benedictiones 3. nocturni: *Evangelica, Divinum, Ad societatem*, ex ordinario. — Lectiones et responsoria de die, e proprio.

Ad laudes. — Psalmi, antiphonae, capitulum, hymnus et versus de dominica 1. loco, e psalterio. — Antiphonae ad *Benedictus* de die, e proprio. — Fit suffragium, ex ordinario. nisi fit commemoratio alicuius duplicis vel octavae.

Ad primam. — Psalmi et antiphonae de dominica, e psalterio. Symbolum Athanasianum dicitur, e psalterio, nisi ad laudes facta est commemoratio duplicis vel octavae. — Capitulum

de dominica *Regi saeculorum*, ex ordinario. — Versus in responsorio brevi communis, ex ordinario, vel specialis de festis, e proprio. — Preces dominicales dicuntur, ex ordinario, nisi ad laudes facta est commemoratio alicuius duplicis vel octavae. — Lectio brevis *Dominus autem dirigat*, ex ordinario.

Ad tertiam, sextam, nonam. — Psalmi, antiphonae, capitulum, responsorium de dominica, versus cotidianus, e psalterio. — Oratio de die, e proprio.

Ad vesperas. — Psalmi et antiphonae de dominica, e psalterio. — Capitulum et versus cotidianus, e psalterio. — Hymnus de dominica, e psalterio. — Antiphona ad *Magnificat* et oratio de die, e proprio. — Suffragium, sicut in laudibus.

Ad completorium. — Psalmi et antiphonae de dominica, e psalterio. — Preces, sicut in completorio sabbati.

Antiphona finalis. — A laudibus diei 14. ianuarii usque ad 2. vesperas (inclusive) diei 2. februarii, *Alma redemptoris mater*, ex ordinario; reliquo tempore, *Salve, Regina*, item.

PER ANNUM. *Sabbato anticipandum*

Officium fit sicut in ipsa die dominica, sed:

Quae sunt de sabbato vel dominica, e psalterio, cum in ipsa dominica celebratur, sunt de feria VI vel sabbato, ex eodem psalterio, cum anticipatur. Capitulum primae de dominica, ex ordinario (*Regi saeculorum*).

In 1. vesperis diei sequentis (dominicae Septuagesimae vel dominicae ultimae post Pentecosten) nulla commemoratio dominicae anticipatae.

IN ADVENTU

Officium fit sicut per annum die dominica, sed:

Ad vesperas sabbati. — Antiphonae ad psalmos et capitulum sunt de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario. — Suffragium semper omittitur.

Ad matutinum. — Invitatorium et hymnus de tempore, ex ordinario. — Antiphonae et versus de tempore, e psalterio. — 9. responsorium cum doxologia *Gloria Patri* et iteratione responsi, non autem *Te Deum*.

Ad laudes. — Antiphonae ad psalmos, capitulum, hymnus et versus sunt de die vel de tempore, sicut in vesperis sabbati. — Suffragium semper omittitur.

Ad primam. — Antiphonae de die (e laudibus), e proprio.

— Versus in responsorio brevi specialis de tempore, ex ordinario, vel specialis de festis, e proprio sanctorum. — Lectio brevis de tempore, ex ordinario.

Ad tertiam, sextam, nonam. — Antiphonae et capitulum de die, e proprio. — Responsorium breve et versus de tempore, ex ordinario.

Ad vesperas. — Antiphonae ad psalmos et capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario. — Suffragium semper omittitur.

Ad completorium. — Preces, ex ordinario, nisi ad vesperas facta est commemoratio duplicis vel octavae alicuius.

Antiphona finalis. — *Alma redemptoris mater,* ex ordinario.

In Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima

Officium fit sicut per annum die dominica, sed:

In principio uniuscuiusque horae omittitur alleluia et pro eo dicitur *Laus tibi, Domine.*

Ad vesperas sabbati. — Capitulum est de die, e proprio.

Ad matutinum. — Invitatorium de tempore, die dominico, e psalterio. — Dicitur 9. responsorium, cum doxologia *Gloria Patri* et iteratione responsi.

Ad laudes. — Psalmi de dominica 2. loco, e psalterio. — Antiphonae de die, e proprio. — Capitulum de die, e proprio.

Ad primam. — Pro psalmo 117, *Confitemini,* dicuntur duo priores psalmi e 1. loco laudum. — Antiphona de die, e proprio. — Symbolum Athanasianum omittitur.

Ad tertiam, sextam, nonam. — Antiphona et capitulum de die, e proprio.

Ad vesperas. — Capitulum de die, e proprio.

Antiphona finalis. — Usque ad 2. vesperas diei 2. februarii, *Alma redemptoris mater;* a 2. completorio eiusdem diei, *Ave, Regina caelorum;* ex ordinario.

In Quadragesima

In principio uniuscuiusque horae, sicut in Septuagesima, etc.

Ad vesperas sabbati. — Capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario.

Ad matutinum. — Invitatorium et hymnus de tempore, ex ordinario. — Antiphonae et versus de tempore, e psalterio. — 9. responsorium, cum doxologia *Gloria Patri,* et iteratione responsi, non autem *Te Deum.*

Ad laudes. — Psalmi e 2. loco. — Antiphonae et capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario.

Ad primam. — Pro psalmo 117, *Confitemini*, dicuntur duo priores psalmi e 1. loco laudum. — Antiphona de die, e proprio. — Symbolum Athanasianum omittitur. — Lectio brevis de tempore, ex ordinario.

Ad tertiam, sextam, nonam. — Antiphona et capitulum de die, e proprio. — Responsorium et versus de tempore, ex ordinario.

Ad vesperas. — Capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario.

Antiphona finalis. — *Ave, Regina caelorum.*

Tempore Passionis

Officium fit sicut in Quadragesima, sed:

Omittitur doxologia *Gloria Patri* in fine psalmi invitatorii; in responsoriis omnibus, eo modo qui in ordinario indicatur.

Tempore paschali

Officium fit sicut per annum, sed:

Ad vesperas sabbati. — Una antiphona ad psalmos, de tempore, e psalterio. — Capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario. — Conclusio hymni, in hac hora et in ceteris, est vel specialis de tempore, ex ordinario, vel specialis de festis, e proprio. — Pro suffragio commemoratio de Cruce, ex ordinario, iisdem sabbatis exceptis.

Ad completorium sabbati. — Antiphonae de tempore, e psalterio.

Ad matutinum. — Tres psalmi singulorum nocturnorum cum una antiphona. — Invitatorium, hymnus, antiphonae, versus de tempore, e psalterio.

Ad laudes. — Una antiphona ad psalmos, de tempore, e psalterio. — Capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario. — Pro suffragio, commemoratio de Cruce, ex ordinario, iisdem dominicis exceptis.

Ad primam. — Antiphona de tempore, e psalterio. — Symbolum Athanasianum non dicitur. — Versus in responsorio brevi specialis de tempore, ex ordinario, vel specialis de festis, e proprio. — Lectio brevis de tempore, ex ordinario.

Ad tertiam, sextam, nonam. — Antiphona de tempore, e psalterio. — Capitulum de die, e proprio. — Responsorium et versus de tempore, ex ordinario.

Ad vesperas. — Una antiphona ad psalmos, de tempore, e psalterio. — Capitulum de die, e proprio. — Hymnus et versus de tempore, ex ordinario. — Commemoratio de Cruce sicut in laudibus.

Ad completorium. — Antiphona de tempore, e psalterio.

II. OFFICIUM FERIALE

Officium feriale celebratur in feriis maioribus vel minoribus et in vigiliis communibus.

Officium feriale est simplex, exceptis officiis feriae V in Coena Domini, feriae VI in Parasceve, Sabbati sancti, quae sunt duplicia (1. classis), et officiis feriae VI post octavam Ascensionis et sabbati in vigilia Pentecostes, quae sunt semiduplicia.

Officium feriale caret semper 1. vesperis et 1. completorio, sed, salvis normis de concurrentia officiorum, habet 2. vesperas et 2. completorium, exceptis officiis feriae II in Rogationibus, Quattuor Temporum septembris, ac vigiliarum communium, quae omnia terminantur nona. Quotiescumque autem officio 2. vesperis ac 2. completorio carenti succedit officium quod 1. vesperas ac 1. completorium non habeat, dicuntur 2. vesperae ac 2. completorium de occurrenti hebdomadis die. Quod fit, cum die post festum sive diem octavam simplicem, post feriam II in Rogationibus, post feriam IV vel VI Quattuor Temporum septembris faciendum est quodvis officium feriale.

Per annum

Ad matutinum. — Unus nocturnus novem psalmorum atque antiphonarum, unius versus, trium lectionum ac responsoriorum. — Invitatorium, hymnus, psalmi, antiphonae, versus de feria occurrenti, e psalterio. — Feria IV Quattuor Temporum et in vigiliis communibus quae in feriam IV incidunt, tres ultimi psalmi et antiphonae e 2. loco. — Benedictio feria II et V, *Exaudi;* feria III et VI, *Ipsius;* feria IV et sabbato, *A vinculis;* ex ordinario. — Absolutiones in feriis cum lectionibus de scriptura currenti, feria II et V, *Benedictione, Unigenitus, Spiritus;* feria III et VI, *Deus, Christus, Ignem;* feria IV et sabbato, *Ille, Divinum, Ad societatem;* in omnibus feriis cum homilia, *Evangelica, Divinum, Ad societatem;* ex ordinario. — Lectiones et responsoria de occurrenti die, e proprio.

Ad laudes. — Psalmi et antiphonae de feria occurrenti 1. loco, e psalterio, praeterquam in feriis Quattuor Temporum septembris et in vigiliis communibus, in quibus sunt e 2. loco, ex eodem psalterio. — Capitulum et versus de feria, e psalterio. — Hymnus et antiphona ad *Benedictus* de occurrenti feria, e psalterio. — In feriis Quattuor Temporum et in vigiliis communibus preces, ex ordinario. — Oratio de die, e proprio ipsius diei vel dominicae praecedentis. — Fit suffragium de omnibus Sanctis, ex ordinario.

Ed ora, Venerabili Fratelli, con questa dottrina e con questa prassi della Chiesa paragonate, nella loro realtà, le tendenze imperialistiche. Qui voi non trovate alcun principio di equilibrio interno; e così la solidità della convivenza umana subisce un nuovo e ingente danno. Se infatti tali giganteschi organismi non hanno alcun reale fondamento morale, essi si evolvono necessariamente verso un sempre maggiore accentramento e una sempre più stretta uniformità. Pertanto il loro equilibrio, la loro stessa coesione si mantengono unicamente con la forza e la costrizione esteriore delle condizioni materiali e degli espedienti giuridici, degli avvenimenti e delle istituzioni, e non in virtù della intima adesione degli uomini, della loro attitudine e prontezza a prendere iniziative e ad assumere responsabilità. Il cosiddetto ordine interno si riduce quasi a una semplice tregua fra i vari gruppi, con la continua minaccia di rottura del loro equilibrio ad ogni variazione sia degli interessi in giuoco, sia della proporzione fra le rispettive forze. Essendo così fragili e instabili nella loro costituzione interna, questi organismi sono tanto più esposti a divenire pericolosi anche per la intiera famiglia degli Stati.

---

[8] Cfr. *Acta Ap. S.*, vol. 23, 1931, pag. 203.

3° *l'uguaglianza. — L'uomo completo al centro dell'ordine sociale*

Senza dubbio ben diverso è il caso di un Impero fondato sopra una base, il cui carattere spirituale si è stabilito e rafforzato nel corso della storia, e che trova il suo appoggio nella coscienza di una grande maggioranza dei cittadini. Ma non presta esso forse il fianco a un pericolo di un'altra natura, quello cioè di accordare una stima esagerata, un'attenzione esclusiva a tutto ciò che è proprio, e di non saper apprezzare, o anche soltanto conoscere ciò che gli è estraneo? Ed ecco di nuovo l'unità e la integrità della comunanza umana scosse per la breccia fatta al suo fondamento in un punto essenziale; ecco vulnerato il principio sacro della uguaglianza e della parità fra gli uomini.

Anche qui la Chiesa è quella che può curare e guarire una tale ferita. Anche qui essa lo fa, penetrando nelle più intime profondità dell'essere umano e ponendolo al centro di tutto l'ordine sociale. Ora questo essere umano non è l'uomo astratto, nè considerato solamente nell'ordine della pura natura, ma l'uomo completo, qual esso è agli occhi di Dio, suo Creatore e Redentore, qual'è nella sua realtà concreta e storica, che non si potrebbe perdere di vista senza compromettere l'economia normale della convivenza umana. La Chiesa lo sa ed agisce conseguentemente. Se, in determinati tempi e luoghi, l'una o l'altra civiltà, l'uno o l'altro gruppo etnico o ceto sociale hanno fatto più che altri sentire il loro influsso sulla Chiesa, ciò non significa però che essa s'infeudi ad alcuno, nè che s'impietrisca, per così dire, in un momento della storia, chiudendosi ad ogni ulteriore sviluppo. Al contrario, china com'è sull'uomo con una incessante attenzione, ascoltando tutti i battiti del suo cuore, essa ne conosce tutte le ricchezze, ne percepisce tutte le aspirazioni con quella chiaroveggente intuizione e penetrante finezza, che pos-

sono derivare soltanto dal lume soprannaturale della dottrina di Cristo e dal calore soprannaturale della sua divina carità. Così la Chiesa nel suo progresso segue senza sosta e senza urto il cammino provvidenziale dei tempi e delle circostanze. Tale è il senso profondo della sua legge vitale di continuo adattamento, che alcuni, incapaci di sollevarsi a questa magnifica concezione, hanno interpretato e presentato come opportunismo. No, la comprensione universale della Chiesa non ha nulla che vedere con la strettezza di una setta, nè con la esclusività di un imperialismo prigioniero della sua tradizione.

Essa tende con ogni cura allo scopo che S. Tommaso d'Aquino, alla scuola del filosofo di Stagira, dà alla vita comune, che è di stringere tra di loro gli uomini coi legami dell'amicizia [9]. E' stato detto che, con tutti i moderni mezzi di comunicazione, i popoli e gli uomini sono ora più isolati che non siano mai stati prima. Ciò però non deve potersi dire dei cattolici, dei membri della Chiesa.

4° *il normale sviluppo nello spazio e nel tempo. - Le deportazioni dei popoli*

La Chiesa è infatti la società perfetta, la società universale, che abbraccia e unisce fra loro nella unità del Corpo mistico di Cristo tutti gli uomini: « *Omnes gentes quas fecisti, venient et adorabunt te, Domine* » [10]. Tutti, i popoli e gli uomini singoli, sono chiamati a venire alla Chiesa. Ma questa parola « venire » non richiama allo spirito nessuna idea di migrazione, di espatriazione, di quelle deportazioni con le quali i pubblici poteri o la dura forza degli avvenimenti strappano le popolazioni dalle loro terre e dai loro focolari; non implica l'abbandono di salutari tradizioni, di venerandi costumi; non la permanente o almeno lunga separazione violenta di sposi, genitori e

[9] Cfr. *S. Th.* 1a 2ae q. 92 a. 2.
[10] *Ps.* 85. 9.

figli, fratelli, parenti e amici; non la degradazione degli uomini nella umiliante condizione di una « massa ». Questa funesta specie di trasferimenti degli uomini è pur troppo oggi divenuta più frequente, ma anch'essa, nelle sue forme antiche e nuove, in molteplici modi direttamente e indirettamente si ricollega con le tendenze imperialistiche del tempo. Il « venire » alla Chiesa non richiede questi tristi trapiantamenti, sebbene la mano di Dio misericordiosa e potente si serva anche di queste stesse angustie per condurre tante delle loro vittime alla Chiesa, alla casa paterna; tuttavia non il suo cuore le ha volute; egli non ne aveva bisogno, e S. Agostino lo espresse assai giustamente quando scriveva: « *Non enim de locis suis migrando venient, sed in locis suis credendo* »[11].

Con questa intima attrazione spirituale, Venerabili Fratelli, la Chiesa non ha forse contribuito e non contribuisce ancora efficacemente a costituire il solido fondamento della società umana? L'uomo, quale Iddio lo vuole e la Chiesa lo abbraccia, non si sentirà mai fermamente fissato nello spazio e nel tempo senza territorio stabile e senza tradizioni. Qui i forti trovano la sorgente della loro vitalità ardente e feconda, e i deboli, che sono la maggioranza, dimorano al sicuro contro la pusillanimità e l'apatia, contro il decadimento della loro dignità umana. La lunga esperienza della Chiesa come educatrice dei popoli lo conferma; essa perciò ha cura di congiungere in ogni modo la vita religiosa coi costumi della patria e cura con particolare sollecitudine coloro che l'emigrazione o il servizio militare tiene lontani dal paese nativo. Il naufragio di tante anime dà tristemente ragione a questa materna apprensione della Chiesa e obbliga a concludere che la stabilità del territorio e l'attaccamento alle tradizioni avite, indispensabili alla sana integrità dell'uomo, sono anche elementi fondamentali della comunità umana. Sarebbe

---

11 *Epist.* 199 cap. 12 n. 47 — Migne, *PL,* t. 33 col. 923.

però evidentemente un capovolgere e convertire nel suo contrario il benefico effetto di questo postulato, se alcuno volesse servirsene per giustificare il rimpatrio forzato e la negazione del diritto di asilo riguardo a coloro che per gravi ragioni desiderano di fissare altrove la loro residenza.

La Chiesa vivente nel cuore dell'uomo e l'uomo vivente nel seno della Chiesa, ecco, Venerabili Fratelli, la unione più profonda e operante che possa concepirsi. Con questa unione la Chiesa eleva l'uomo alla perfezione del suo essere e della sua vitalità per dare alla società umana uomini così formati: uomini costituiti nella loro inviolabile integrità come immagini di Dio; uomini fieri della loro dignità personale e della loro sana libertà; uomini giustamente gelosi della parità coi loro simili in tutto ciò che tocca il fondo più intimo della dignità umana; uomini stabilmente attaccati alla loro terra e alla loro tradizione; uomini, in una parola, caratterizzati da questo quadruplice elemento, ecco ciò che conferisce alla società umana il suo solido fondamento e le procura sicurezza, equilibrio, uguaglianza, normale sviluppo nello spazio e nel tempo. Tale è dunque anche il vero senso e l'influsso pratico della soprannazionalità della Chiesa, che, — ben lungi dall'essere simile a un Impero, — elevandosi al di sopra di tutte le differenze, di tutti gli spazi e i tempi, incessantemente costruisce sul fondamento inconcusso di ogni società umana. Abbiamo fiducia in lei; se tutto vacilla intorno a lei, essa rimane ferma. A lei si applica anche ai nostri giorni la parola del Signore: « *Etsi moveatur terra cum omnibus incolis suis, ego firmavi columnas eius* »[12].

---

[12] *Ps.* 74, 4.

Le due colonne principali della società umana: famiglia e Stato

Sopra un tale fondamento riposano soprattutto le due colonne principali, l'armatura della umana società, quale è stata concepita e voluta da Dio: la famiglia e lo Stato. Appoggiate sopra un tale fondamento, esse possono adempire sicuramente e perfettamente i loro scopi rispettivi: la famiglia come fonte e scuola di vita, lo Stato quale tutore del diritto, che, come la società stessa in generale, ha la sua origine prossima e il suo fine nell'uomo completo, nella persona umana, immagine di Dio. L'Apostolo chiama i fedeli con due magnifici nomi: « concittadini dei santi » e « membri della famiglia di Dio », « *cives sanctorum et domestici Dei* »[13]. Non vediamo noi forse che di queste due parole la prima si riferisce alla vita dello Stato e la seconda a quella della famiglia? E non è forse permesso di scorgervi un'allusione al modo in cui la Chiesa contribuisce a stabilire il fondamento della società secondo la sua struttura intima, nella famiglia e nello Stato?

Questa concezione e questa maniera di agire avrebbero oggi perduto il loro valore? Le due colonne maestre della società, discostandosi dal loro centro di gravità, si sono pur troppo staccate dal loro fondamento. E che cosa ne è risultato, se non che la famiglia ha veduto declinare la sua forza vitale ed educatrice, e che lo Stato, dal canto suo, è sul punto di rinunziare alla sua missione di difensore del diritto per tramutarsi in quel Leviathan dell'Antico Testamento, che tutto domina, perchè quasi tutto vuol trarre a sè? Senza dubbio oggi, nella inestricabile confusione in cui il mondo si agita, lo Stato si trova nella necessità di assumere a sè un immenso peso di doveri e

---

[13] *Eph.* 2, 19.

di uffici; ma questa anormale condizione di cose non minaccia forse di compromettere gravemente la sua intima forza e l'efficacia della sua autorità?

L'ardua missione della Chiesa

Ed ora che cosa da tutto ciò consegue per la Chiesa? Essa dovrà oggi più che mai vivere la sua missione; dovrà più energicamente che mai respingere quella falsa e angusta concezione della sua spiritualità e della sua vita interiore, che vorrebbe confinarla, cieca e muta, nel ritiro del santuario.

La Chiesa non può, rinchiudendosi inerte nel segreto dei suoi templi, disertare la sua missione divinamente provvidenziale di formare l'uomo completo, e con ciò di collaborare senza posa alla costituzione del solido fondamento della società. Tale missione è in lei essenziale. Considerata da questo lato, la Chiesa può dirsi la società di coloro che, sotto l'influsso soprannaturale della grazia, nella perfezione della loro dignità personale di figli di Dio e nello sviluppo armonico di tutte le inclinazioni e le energie umane, edificano la potente armatura della convivenza umana.

Sotto questo aspetto, Venerabili Fratelli, i fedeli, e più precisamente i laici, si trovano nella linea più avanzata della vita della Chiesa; per loro la Chiesa è il principio vitale della società umana. Perciò essi, specialmente essi, debbono avere una sempre più chiara consapevolezza, non soltanto di appartenere alla Chiesa, ma di essere la Chiesa, vale a dire la comunità dei fedeli sulla terra sotto la condotta del Capo comune, il Papa, e dei Vescovi in comunione con lui. Essi sono la Chiesa, e perciò fin dai primi tempi della sua storia, i fedeli, col consenso dei loro Vescovi, si sono uniti in associazioni particolari concernenti le più diverse manifestazioni della vita. E la Santa Sede non ha mai cessato di approvarle e di lodarle.

Così il senso precipuo della soprannazionalità della Chiesa è di dare durevolmente figura e forma al fondamento della società umana, al di sopra di tutte le diversità, al di là dei limiti dello spazio e del tempo. Una tale opera è ardua, specialmente ai nostri giorni, in cui la vita sociale sembra essere divenuta per gli uomini un enigma, un inestricabile viluppo. Circolano nel mondo erronee opinioni che dichiarano un uomo colpevole e responsabile, soltanto perchè è membro o parte di una determinata comunità, senza curarsi di ricercare od esaminare se da parte sua vi sia stata veramente una colpa personale di azione o di omissione. Ciò significa un arrogarsi i diritti di Dio, Creatore e Redentore, che solo nei misteriosi disegni della sua sempre amorosa Provvidenza è Signore assoluto degli avvenimenti e come tale concatena, se così giudica nella sua infinita sapienza, le sorti del colpevole e dell'innocente, del responsabile e del non responsabile. A questo si aggiunge che soprattutto le complicazioni di ordine economico e militare hanno fatto della società come una macchina gigantesca, di cui l'uomo non ha più la padronanza, e che anzi teme. La continuità nel tempo era sempre apparsa essenziale alla vita sociale, e sembrava che questa non potesse concepirsi isolando l'uomo dal passato, dal presente e dal futuro. Ora tale è appunto lo sconcertante fenomeno, di cui siamo oggi testimoni. Troppo spesso di tutto il passato non si sa più quasi nulla, o appena quanto basta per indovinarne la traccia confusa nel cumulo delle sue rovine. Il presente non è per molti che la fuga disordinata di un torrente, il quale precipita gli uomini, come relitti, verso la notte oscura di un avvenire, in cui essi vanno a perdersi insieme con la corrente stessa che li trascina.

Le arcane virtù del santo Sacrificio della Messa per il bene della società umana

Soltanto la Chiesa può ricondurre l'uomo da quelle tenebre alla luce; essa soltanto può rendergli la coscienza di un vigoroso passato, la padronanza del presente, la sicurezza dell'avvenire. Ma la sua soprannazionalità non opera a guisa di un Impero, che protende i suoi tentacoli in tutte le direzioni con la mira di una dominazione mondiale. Come una madre di famiglia, essa ogni giorno raduna nella intimità tutti i suoi figli sparsi nel mondo; essa li raccoglie nella unità del suo vitale principio divino. Non vediamo noi forse tutti i giorni sui nostri innumerevoli altari, come Cristo Vittima divina, con le braccia che si estendono da una estremità all'altra del mondo, avvolge e contiene al tempo stesso nel suo passato, nel suo presente, nel suo avvenire la intera società umana? E' la santa Messa, quel sacrificio incruento istituito dal Redentore nell'ultima Cena, « quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur » [14]. Con queste parole lapidarie del Concilio di Trento, scolpite a perpetua memoria in una delle ore più gravi della storia, la Chiesa difende e proclama i suoi migliori e più alti valori, che sono anche i migliori e più alti valori per il bene della società, i quali uniscono indissolubilmente il suo passato, il suo presente e il suo futuro e gettano una viva luce sugli inquietanti enigmi del nostro tempo. Nella santa Messa gli uomini divengono sempre più consapevoli del loro passato di colpe e in pari tempo degli immensi benefici divini nel ricordo del Golgota, del più grande

[14] *Conc. Trid.* Sess. XXII, Cap. 1, ed. Goerres., tom. octavus (Actorum pars quinta), pag. 960.

avvenimento della storia della umanità, ricevono la forza per liberarsi dalla più profonda miseria del presente, la miseria dei peccati quotidiani, mentre anche i più derelitti sentono un soffio del personale amore del misericordioso Iddio; e il loro sguardo viene indirizzato verso un sicuro avvenire, verso la consumazione dei tempi nella vittoria del Signore là sull'altare, di quel Giudice supremo, che pronunzierà un giorno l'ultima e definitiva sentenza.

Venerabili Fratelli, nella santa Messa la Chiesa presta dunque il suo più grande sostegno al fondamento della società umana. Tutti i giorni, da dove nasce il sole fin dove tramonta, senza distinzione di popoli e di nazioni, si offre un'oblazione pura [15], a cui partecipano in intima fraternità tutti i figli della Chiesa sparsi nell'universo, e tutti vi trovano il rifugio nelle loro necessità e la sicurezza nèi loro pericoli.

Amiamo la Chiesa

Amiamo la Chiesa, questa Chiesa santa, amorevole e forte, questa Chiesa veramente soprannazionale. Facciamola amare da tutti i popoli e da tutti gli uomini. Siamo noi stessi il fondamento stabile della società; che essa divenga effettivamente l'« *una gens* », di cui parla il grande Vescovo d'Ippona. « *Una gens* », « *quia una fides, quia una spes, quia una caritas, quia una expectatio* » [16].

Affinchè pertanto coloro, che la grazia del Signore ha chiamato alla sua Chiesa « da tutte le tribù e lingue e popoli e nazioni » [17], siano nella grave ora presente consapevoli del loro sacro dovere d'irradiare dalla loro fede viva e operosa lo spirito e l'amore di Cristo nella società umana; affinchè alla loro volta tutti i popoli e gli uomini,

---

15 Cfr. *Malach.* 1, 11.
16 *Enarr. in Ps. 85 n. 14* — Migne, *PL*, t. 37, col. 1092.
17 *Apoc.* 5, 9.

vicini alla Chiesa o ancora da lei lontani, riconoscano che essa è la salute di Dio fino alla estremità della terra[18]; impartiamo di cuore a voi, Venerabili Fratelli, ai Vescovi e ai sacerdoti che collaborano con voi nell'apostolato, ai fedeli delle vostre diocesi, alle vostre famiglie e a tutte le persone e le istituzioni che vi sono care, alle vostre nazioni, ai vostri popoli, alla Chiesa tutta e alla intiera famiglia umana, con particolare affetto la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Annotationes

Istae annotationes duos sermones Summi Pontificis simul respiciunt: alterum in pervigilio Nativitatis a. 1945 alterum in consistorio semi-publico die 20-2-46 habitum. Qui sermones occasione sua necnon principali suo argumento veram unitatem constituunt, cum in faustissimo eventu annuntiationis et creationis novorum Cardinalium de indole Ecclesiae agant. Quae dein SS. D. N. de rebus humanae familiae hisce temporibus bellum inter et pacem novas sat graves difficultates subeuntis dixit, ultimae parti nostrarum annotationum reservamus. Factum vero ipsum, circa quod uterque sermo versatur, ulteriore annotatione praeter explicationes ab ipso Summo Pontifice datas non indiget, sc. Papa creando 32 novos Purpuratos numerum septuaginta membrorum Sacri Collegii a Sixto V stabilitum complere voluit. Cum autem Pius XII praeter quattuor italianos alios novos Cardinales ex variis gentibus et partibus mundi de industria sumpserit, duobus sermonibus intendit indolem supranationalem Ecclesiae manifestare et inculcare. Unde patet in his Allocutionibus vocem « natio » sensu generaliore sumi, non sensu illo magis proprio quo hodie « natio » a communitatibus politicis recte distinguitur.

---

18 Cfr. *Is.* 49, 6.

I

Quid indoles supranationalis Ecclesiae sit.

Ecclesia ut unitas supranationalis — Summus Pontifex consulto vocem « internationalis » evitare videtur — rationem et negativam et positivam exhibet. Sensu negativo Ecclesia est supranationalis, cum ipsius unitas ullam divisionem non admittat, qua partes aliae ab aliis discriminentur, immo excludantur. Omnes nationes ad Ecclesiam vocatae sunt; ad omnes pertinet Ecclesia, nec ad unam exclusive, nec ad illam aut illam magis vel minus.

Quodnam est fundamentum dogmaticum talis indivisibilis unitatis? Pius XII se refert ad « Christum-Totum », ad illam unitatem inter « caput » et « corpus » qua « plenitudo Ecclesiae » constituitur, sc. plena vita Ecclesiae, in quantum omnes partes et omnes periodos humanitatis redemptae comprehendit. Conceptus ergo fundamentalis est « Christus-Totus », quem conceptum Summus Pontifex a S. Augustino desumit. Cum ergo Pius XII suam Ecclesiologiam et theologice et sociologice ad mentem magni Doctoris Hipponensis formet, uti abundanter ex toto textu duorum sermonum elucet, ad profundiorem intelligentiam studium Ecclesiologiae Augustinianae uberrime conferet. Ad hunc scopum bene serviet libellus: José Zameza S. J., La Conversión del Mundo infiel en la concepción del « Totus Christus » de San Agustín, Seminario de Misiones, Burgos, 1942. Etsi opusculum Ecclesiologiam sub aspectu solum missiologico tractat, ipse conceptus « Christus-Totus » ideis et locis S. Augustini ab autore fecundissime fulcitus in luce Ecclesiologiae universalis facile poni poterit.

Tali fundamento nixa Ecclesia historiam humani generis dissidiis, separationibus, disintegrationibus plenam essentialiter incolumis participat pervaditque. Immo, est et fit propter suam propriam unitatem indivisibilem fons

inexhauribilis, ex quo vires unificatrices in omnes ramos et provincias consortii humani continuo emanant. Hanc functionem integrantem ulterius exponere argumentum secundi sermonis erit.

Summus Pontifex proin luce historiae inculcat de unitate societatis universae actum fuisse, ubicumque et quandocumque dignitatem et valorem Ecclesiae aut diminuere aut non agnoscere adversarii ausi sint. Inter tales nefastos conatus Individualismus Statalis spiritu Nationalismi imbutus notari debet, qui universalitati Ecclesiae nocumentum afferens simul unitatem gentium orbis occidentalis mortifero vulnere afflixit. Dein Liberalismus unitatem lapsam restituere intendens spem suam in valoribus et in cultu humanitatis sicdictae saecularisatae posuit. Jamvero ille conatus sine Ecclesia et contra eam susceptus, quem Laicismum vocant, infelicem exitum habuit; immo quasi logica necessitate ad moderna systemata Totalitarismi conduxit, quae societatem humanam sub Liberalismo in dies magis disintegratam via arbitrarietatis et violentiae ad unitatem aeque iniustam ac intolerabilem portare cum infelici exitu molita sunt aut moliri pergunt. Non abs re erit hic animadvertere Pium XII ab aliquo Liberalismo restaurato ullas vires sanatrices contra Totalitarismum eiusque destructiones nequaquam exspectare, cum Liberalismum patrem, etsi involuntarium, Totalitarismi habeat.

Quae cum ita sint, Papa Ecclesiae unitatem indivisibilem vivo sensu supranationalitatis firmare inter urgentissimas necessitudines praesentis temporis habet. Quod cadit non solum in ipsum Summum Pontificem ut caput visibile Ecclesiae, sed etiam in Sacrum Collegium, maxime vero in universam actionem Sanctae Sedis. Ergo sub tali amplissimo aspectu modus considerari debet, quo Pius XII numerum membrorum Sacri Collegii complevit.

Sunt certe, uti iam dictum est, inter novos Purpuratos solum quattuor Italiani, cum ceteri ex nationibus sat variis originem ducant. At SS. D. N. monet ne supranationa-

litas Ecclesiae, speciatim gubernii ipsiusque organorum, criteriis mere externis et quasi statisticis subiciatur. E contra illa supranationalitas imprimis ex mentis et animae habitudine radices trahat oportet. Hoc ut factis historiae confirmet, Papa ad elapsa saecula provocat, ubi una quidem natio, nempe Italica, in gubernio necnon in supremo Senatu Ecclesiae numerice praevalebat, attamen spiritus supranationalitatis vix umquam in discrimen deductus est. Immo Pius XII merito insinuat probabilius rem peius evenisse, nisi illis temporibus dynastica necnon nationali contrarietate tantopere agitatis gubernium Ecclesiae praecipue penes viros italicae nationis fuisset, quippe quae ob suas condiciones politicas spiritui nationalistico minus obnoxia fuerit. Etiam postquam saeculo elapso unitas politica Italiae completa est, propter notas circumstantias relatio inter Ecclesiam et Statum in Italia talis erat, ut clerus a periculo nationalismi fere immunis praeservaretur.

Quod periculum rebus politicis in Italia mutatis non iam tam perfecte remotum fuisse pars Allocutionis quodammodo denuntiat, quae incipit: « Anche dopo la Conciliazione fra la Chiesa e lo Stato coi Patti Lateranensi ». Insuper Summus Pontifex exhortans universaliter clericos iuvenes, ne in nationalismum deviarent, Italiae specialem mentionem facere opportunum putavit. Nationis vero italicae maximam et perennem gloriam ab Ecclesia eaque perfecte supranationali parari Pastor supremus extollendo Romam hisce magnificis verbis antea in luce posuit: « Roma apparirà in tal modo veramente come la Città eterna, la Città universale, la Città *caput mundi*, l'Urbs per eccellenza, la Città di cui tutti sono cittadini, la Città sede del Vicario di Cristo, verso la quale si volgono gli sguardi di tutto il mondo cattolico: nè l'Italia, terra benedetta che accoglie nel suo seno questa Roma, ne rimarrà diminuita, che anzi splenderà agli occhi di tutti i popoli come partecipe di questa grandezza e di questa universalità ». Papatus autem ingenuum amorem versus suam Romam infe-

lici bello ultimatim omni alia efficaci tutela orbatam de novo vere probatum esse nemo non videt, qui facta et eventus horum annorum noscit.

Cum ratio negativa supranationalitatis Ecclesiae in indivisibili unitate consistat, ratio postiva in unitatis universalitate sitam esse Pius XII exponit. Provocat ad factum, nempe Ecclesiam modernam in dies magis non solum cum omnibus gentibus et in omnibus gentibus, sed etiam ex omnibus gentibus vivere. Dum enim prioribus saeculis vitalitas Ecclesiae plus minùs ab aliqua sphaera determinata, et quidem a certis regionibus Europae in peripheriam mundi se profudit, nostris temporibus aliqua reciproca mutuatio vitae inter omnes provincias Ecclesiae habetur. Multae regiones, quae olim characterem missionis, ut dicitur, praebebant, hodie ad certam autonomiam provectae sunt ita, ut regionibus antiquioribus modo memoratis aequales ex sua parte commercium bonorum spiritualium et materialium participent. Papa hunc rerum aspectum evolvens ad analogiam geographiae quandam *Ecclesiographiam* sibi propriam facit.

Interpretando illam evolutionem vitalitatis Ecclesiae Allocutio concludit indolem supranationalitatis dicere universalitatem, quia Ecclesia totum genus humanum in unitatem omnes nationes supercomprehendentem et extensive et intensive redigere tendit. Notantur quoque profundiores rationes huius tendentiae. Indoles enim supranationalis nequaquam in aliqua sphaera abstracta et a concreta vita hominum remota Ecclesiam ponit; e contrario, sicuti Christus ipse intima coniunctione in et cum hominibus hac in terra vixit, ita et Ecclesia, in qua Christus vivere pergit, in et cum hominibus gentibusque particeps ipsarum vitae et sortis concretae vivit. Immo, ita procedendo Ecclesia omnia facit sua et vita sua supranaturali elevat, quaecumque per Divinam bonitatem et providentiam unicuique nationi sunt propria. Modo igitur tali supranatio-

nalis Ecclesia non solum valorem proprium singularum nationum agnoscens ipsum in se recipit, sed etiam diversitate nationali non obstante omnes nationes altissima et universali unitate coniungit.

Hac sua exsistentia Ecclesia ut supranationalis duos errores modernos confutat: primo exclusivitatem illam, in qua defectus Nationalismi ipsiusque vis separativa consistit; secundo Totalitarismum, quatenus iustum valorem diversitatis nationum non curans in unitatem mechanicam et in uniformitatem innaturalem aspirat. Porro Pius XII citando iterum pulcherrimum locum S. Augustini verbis suis propriam sociologiam Ecclesiae in mysterio Incarnationis theologice fundat, sc. applicando et exhauriendo factum: Verbum assumpsit veram naturam humanam. Aliis verbis: Ecclesia, in qua Christus vivere pergit, veram et internam relationem ad omnia habet, quae sunt genuine humana. Quod animadvertere non abs re esse videtur, cum aliqui putent sociologiam Ecclesiae formaliter in Corpore Christi Mystico fundandam esse.

II

Quid indoles supranationalis Ecclesiae efficiat

Secundus sermo de effectibus supranationalitatis Ecclesiae agit, qui effectus ad fundamentum, ad structuram et ad evolutionem seu dynamismum socialis vitae humanae se referunt. Papa praecipue primum argumentum exponere intendit, sc. quid Ecclesia ut supranationalis ad fundamentum societatis humane contribuat Hoc, ne false intelligatur, minime dicere vult Ecclesiam in tali functione suum finem assequi, cum finis Ecclesiae, ut notum est, prorsus alius sit. At vult dicere Ecclesiam, cum ut talis, sc. ut supranationalis in mundo exsistat et historiam humani generis participet, non posse non determinato modo in consortium humanum influere. Ecclesia igitur in fir-

mando fundamento illo nequaquam est medium ad finem.

Quae firmandi functio in Allocutione methodice ita exponitur, ut Summus Pontifex ex differentia inter Ecclesiam et Imperium politicum singula elementa petat. Hic modus procedendi permittit primo defectus illius amplissimae unitatis politicae, quae hodie sub voce « Imperium » venit, illustrare — hodie sane res gravissimi momenti —, secundo errorem refutare, qui Ecclesiae ut supranationali indolem Imperii et tendentias imperialisticas attribuit. Explicite Pius XII affirmat contra omnem veritatem historicam stare, qui Ecclesiam certis temporibus prioribus Imperium fuisse aut esse voluisse contendant.

Quibus praemissis Pius XII ipse, quae de influxu Ecclesiae in firmandum fundamentum humanae societatis exposuit, istis verbis comprehendit: « La Chiesa vivente nel cuore dell'uomo e l'uomo vivente nel seno della Chiesa, ecco, Venerabili Fratelli, la unione più profonda e operante che possa concepirsi. Con questa unione la Chiesa eleva l'uomo alla perfezione del suo essere e della sua vitalità per dare alla società umana uomini così formati: oumini costituiti nella loro inviolabile integrità come immagini di Dio; uomini fieri della loro dignità personale e della loro sana libertà; uomini giustamente gelosi della loro parità coi loro simili in tutto ciò che tocca il fondo più intimo della dignità umana; uomini stabilmente attaccati alla loro terra e alla loro tradizione; uomini, in una parola, caratterizzati da questo quadruplice elemento, ecco ciò che conferisce alla società umana il suo solido fondamento e le procura sicurezza, equilibrio, uguaglianza, normale sviluppo nello spazio e nel tempo ».

Primo igitur Ecclesia pro spiritualitate sua ordinem vitae socialis ut ordinem *hominum* circa res concipit, non ut quemdam ordinem rerum, cuius homines solum appendices sunt, sicuti Imperii moderni propter suam inclinationem in mechanismum et materialismum intendunt. Unde Ecclesia formationem hominis, et quidem hominis

totius, completi, integri agit. Ecclesia aliter procedere nequit, uti Supremus Pastor se referens ad primum sermonem repetit: La Chiesa « possiede in Dio, nell'Uomo-Dio, in Cristo, l'invisibile, ma incrollabile principio della sua unità e della sua interezza vale a dire della unità del suo Capo e delle sue membra nella intiera pienezza della sua propria vita, la quale abbraccia e santifica *tutto ciò che è veramente umano, e le molteplici aspirazioni e i fini particolari rivolge e ordina allo scopo totale e comune dell'uomo, che è la sua somiglianza il più possibile perfetta con Dio* ». Statim elucent maximae differentiae Ecclesiam inter et Imperia moderna: Ecclesia in profunditatem internam hominum tendit. Imperium vero primo et solum in exteriora, in expansionem dominativam supra homines propter ipsorum res et vires; Ecclesia fines in spatio proprio sensu non habet. Imperium autem in quaestione finium praecipue occupatur; Ecclesia veram et obiectivam integritatem et totalitatem hominis format et — non obstante multiplici activitate et finalitate particulari hominum — servat, Imperium vero illam totalitatem et integritatem obiectivam hominis disrumpit et destruit et alicui dynamismo inordinato et informi viam sternit, sive cum Liberalismo et Individualismo moderno singulos vitae humanae campos a se invicem separans sive cum modernis systematibus totalitaristicis et collectivisticis alicui campo suprematiam falso attribuens. Iamvero hoc modo ab Ecclesia quidem plena realitas et vera totalitas personae humanae in tuto collocatur, cum sub Imperialismo hominis persona in formalisticum individualismum depravetur aut ut merum medium ad aliquem collectivismum evadat. Unde accidit, ut Imperia moderna securitatem humanae societatis parare nequeant, cum certum sit personam humanam originem et finem vitae socialis esse. E contrario Ecclesia tuendo et evolvendo hominem ut veram personam ad securitatem societatis contributionem maxime necessariam affert.

Etiam aequilibrium verum societati ipsi non nisi ab intrinseco advenire potest, sc. a tali organisatione, quae personali libertati et responsabilitati singulorum hominum in omnibus vitae sphaeris iustum locum et ambitum parat conservatque. In hac quoque re Ecclesia cum indole modernorum Imperiorum non consonat, quae mediis mere mechanicis et extrinsecis aequilibrium stabilire tendunt. Unde necessario ad informem centralismum perveniunt, qui verae vitae personarum et minorum communitatum detrimentum affert et facilius violenter de hominibus disponens artificialem instabilemque coordinationem magis rerum quam hominum prae oculis habet. Ille centralismus eo peior fit, quo magis tale Imperium elementis spiritualibus communibus et unificantibus caret. Ecclesia autem semper in persona ut in origine et fine vitae socialis insistens principium subsidiaritatis omnis activitatis societatis inculcat, proin iterum pretiosissimum elementum ad socialem vitam eiusque verum aequilibrium internum contribuit. Papa non omittit adnotare illud principium non obstante Ecclesiae hierarchica structura etiam pro Ecclesia valere et quasdam tendentias centralisticas non admittere.

Porro verum fundamentum societatis humanae impossibile redditur, ubi vera et iusta aequalitas inter homines non servatur. Sub hoc respectu Pius XII Ecclesiam extollit, quippe quae pro rerum adiunctis et temporum varietate influxui diversorum populorum et coetum inter homines late se aperiat. Asserit Ecclesiam nequaquam rigiditatem et immobilitatem alicuius « sectae » habere nec in certis formis historicis congelandam inclinare, sed pro genuina vitalitate sua omni evolutioni vere humanae se accommodare. Talem accommodationem Ecclesiae ex suo nexu cum Verbo Incarnato ab intrinseco advenire dicit, hinc alienam ab omni opportunismo esse, quidquid in contrarium non raro malevole dicatur. Cum hac indole Ecclesiae Papa specialem casum Imperii moderni comparat, ubi unitas quaedam spiritualis traditione et praevalentia eiusdem

formae culturae habetur. At simul notatur periculum, ne valor aliorum populorum et hominum parvi aestimetur; insuper ne rigiditas quaedam animo ulterioris evolutionis subrepat.

Denique Pius XII asserit humanae personae evolutionem normalem intime dependere ab eo, num homo sc. in solo patrio et in traditione viva radicet an non. Huius rei Ecclesiam in formatione humana semper respectum tenuisse. Ad hunc nexum illustrandum Papa iterum pulcherrimum locum S. Augustini citat. E contrario vero tendentias imperialisticas modernas indirecte aut directe homines quasi ut res plane mobiles habere, quod iamdiu et praesertim hisce temporibus bellicis et postbellicis maximum nocumentum personae humanae, proin vero ordini societatis attulerit. Unde etiam sub hoc respectu Ecclesia fundamentum societatis vere firmat, cum humana vita socialis bene ordinanda a relatione ad spatium et tempus eximi nequeat.

Exposita contributione Ecclesiae ad fundamentum societatis stabiliendum supremus Magister adiungit etiam Familiam et Statum, duas columnas vitae socialis, non aliud fundamentum habere. Familiae esse novis personis humanis dignum et aptum locum originis et evolutionis praebere, Status esse iura congenita personae humanae tueri. Quis vero nescit imprimis nisum imperialisticum modernum multoties et Familiam et Statum a suo vero fine avertisse? Hac occasione Papa Statum modernum famoso illi animali Biblico « Leviathan » saepe similem esse affirmat. Certe hac comparatione etiam intendit in memoriam revocare « Leviathan » esse quoque titulum libri de Statu a philosopho anglico Thomas Hobbes conscripti et a quibusdam assertoribus scientificis « Status fortis », i. e. totalitarii et autoritarii, de novo celebrati.

Sermo ad practicas conculsiones procedit. Ecclesia, cum tam intime cum fundamento societatis firmando cohaereat, in essentiali sua vita deficeret, si in mundum non

influeret. Laederet Christum-Totum, si hominem-totum non formaret. Pius XII, sat fortiter illos reprehendit, qui Ecclesiam in intima sacraria detrudere volunt. Hisce verbis supremus Pastor aliquas deviationes modernae vitae liturgicae tam laudabiliter renovatae sine dubio notare vult.

Immo, Ecclesiam verum principium vitale humanae societatis esse Sermo affirmat; idem istis verbis latius exponitur: « La Chiesa può dirsi la società di coloro, che, sotto l'influsso soprannaturale della grazia, nella perfezione della loro dignità personale di figli di Dio e nello sviluppo armonico di tutte le inclinazioni e le energie umane, edificano la potente armatura della convivenza umana ». Patet sub hoc respectu fideles omnes, maxime laicos, primam frontem in vita Ecclesiae occupare. Explicite summus Magister inculcat fideles, praecipue laicos, non solum ad Ecclesiam pertinere, sed etiam Ecclesiam constituere. Quae affirmatio quamdam Ecclesiae intelligentiam complere apta est, quae unilateraliter ab hierarchica indole Ecclesiae procedit.

Quae cum ita sint, quod laici, ut missionem suam in actum deducant, uniones speciales, sive professionales sive alias sociales, efficiant a Papa laudatur. Insuper Pius XII expressis verbis in memoriam revocat Sanctam Sedem ab hac idea de organisatione multiplici fidelium numquam recessisse, quidquid aliqui de forma italiana, Actionis Catholicae » olim sub « Fascismo » introducta senserint aut sentire pergant. Omnia ista probant Summum Pontificem nequaquam mentem illorum suam facere, qui unitatem paroecialem aut dioecesanam unicam formam organisatoriam activitatis laicorum esse debere contendunt.

Attamen etiam hic Sermo de Ecclesia tam late concepta ultimatim in intima, in cor Ecclesiae nos reducit, et quidem sub ipso respectu sociali, uti hodie se repraesentat. Tendentiae enim imperialisticae simul cum suis effectibus destructivis hoc laeserunt laeduntque, quod ho-

minis ut personae proprium est, nempe homo suae vitae praesentis plane conscius in patrimonio temporum praeteritorum radicat simulque in futura ut in destinatos terminos aspirat. Hoc valet de singulis aeque ac de generationibus ut talibus. Iamvero concreta socialis vita moderna physice et moraliter ab Imperialismo perversa persaepe homines a suo patrimonio physico et spirituali separat, futura plene obscurat, proin vitam praesentem ad modum quasi animalium depravat. Omnibus illis infelicibus sola Ecclesia hodie locum inconcussum et indelebilem parat. Collocat enim omnes ad altare, ubi Sanctum Sacrificium Missae offertur: thesaurus praeteritorum inamissibilis, donum maxime necessarium pro vita praesenti simulque pignus securissimum futuri termini prae omnibus vere finalis. Quod Vicarius Christi et summus Sacerdos verbis S. Synodi Tridentinae clarissime ostendit. Utinam hodie omnes hanc consolationem capiant sentiantque, quam Pius XII ex tali sociologica intellegentia Sacri Mysterii nostrorum altarium profundissime haurit.

III

De difficultatibus postbellicis

Primo Pius XII in Sermone Natalitio monet, ne iam temporibus postbellicis tales condiciones creentur, quae ex sese omnem accessum ad veram pacem impediant. Inter tria praesupposita quae notantur imprimis habitudo animae apud victores et victos summi momenti est. Iamvero tristis experientia ostendit odium, studium ulciscendi, ambitionem inter populos, vetustas contrarietates, inclinationem in monopolia oeconomica et in suppressionem aliorum, qui in campo oeconomico competunt, adhuc vim suam exercere. Sat clare Summus Pontifex dicit: qui iuste vult justam expiationem, non debet eadem crimina committere; qui vult reparationes, limites ordinis moralis ser-

vare debet et iura naturalia etiam in illis agnoscat, qui sine condicione arma deposuerunt; qui aspirat ad securitatem propriam, sibi persuasum sit securitatem primitus a propria natione petendam esse, sc. ab ipsius interno ordine et ab ipsius sana voluntate ad vitam honestam et ad collaborationem cum aliis Statibus. Quisnam sane nescit quam saepe condiciones internae male compositae aliquem populum pro pace mundi periculosum reddiderint?

Alterum praesuppositum est in hoc, quod verae opinionis publicae respectus teneatur. Papa censuram arbitrariam, iudicia unilateralia, falsas affirmationes vehementer reprehendit, quae omnia opinionem publicam falsificant et animos populorum « arundines vento agitatas » faciunt. Vera « opinio publica » apud numerum quam maximum patrumfamilias et matrumfamilias toto in orbe terrarum invenitur, qui homines nil aliud intendunt nisi honeste cum suis viventes et laborantes finem terrestrem et aeternum vitae secure prosequi. Talium hominum mens plane aliena est ab illis aspirationibus, quae modernos Status sub impulsu imperialistico cum enormibus expensis et sacrificiis non iustificatis continuo moliuntur.

Proin Papa velut tertium praesuppositum postulat, ut nova species Totalitarismi recentissime imminens caveatur. Illa species apparet ut « Status fortis », in quantum subiectum aut instrumentum alicuius expansionis illimitatae et nullis legibus coercitae est. Statim Thomasi Hobbes et sui « Leviathan » supra memorati recordamur. Signum manifestativum talis Status est tendentia homines ut meras res utilitati expansivae sive ad intra sive ad extra plene subicere. Arbitrarie oeconomia populorum mortaliter mutilatur. Arbitrarie ius naturale migrandi aut « colonisandi », quod primitus penes patremfamilias est, practice enervatur, immo non raro theoretice negatur. Notatu dignum est Papam loquentem in primo Sermone de « desiderio di colonizzazione » non de « coloniis » sensu poli-

tico vel oeconomico loqui, sed de illa desiderabili activitate et voluntate hominis, qua terram nondum convenienter usitatam in fecundam sedem stabilis habitationis mutare intendit. Verba, quibus Summus Pontifex in utroque Sermone praxim imperialisticam transplantandi violenter homines et populos graviter vituperat, sane tristissimo fundamento actuali non carent. Huc pertinet etiam contraria praxis aeque ius naturale patrisfamilias offendens, qua « ius asyli » illis, qui iustas ob causas in patriam suam reverti nolunt, denegatur. Concludendo Pius XII animadvertit Status imperialisticos modernos, cum homines ut meras res tractent, unicum criterium veri progressus societatis destruere, nempe Familiae possibilitatem suam unitatem oeconomicam, iuridicam, moralem et religiosam non solum servandi, sed etiam evolvendi.

Dein Supremus Pastor pro suo zelo veram pacem praeparandi captivorum sive militarium sive politicorum mentionem facit. Facile enim intelligitur, quantum pro concordia et futura amicitia inter populos ab hac quaestione dependeat. Commendatur vera cura spiritualis et physica illorum hominum necnon familiarum derelictarum. Insuper desiderium vivum exprimitur, ut captivi quam citissime libertati et suis familiis redonentur.

In secundo Sermone praeter iam dicta aliqua specialis difficultas postbellica tangitur, nempe quaestio sicdictae « culpae collectivae ». Papa simpliciter negat ut culpabiles posse haberi homines *solum et unice ob factum*, quod sunt partes vel membra cuiusvis communitatis. Hoc offendere contra suprematiam Divinam, proin etiam contra sanam rationem et veram conceptionem personae humanae. Adnotetur verba Summi Pontificis excludere non solum collectivam culpam, sed etiam collectivam responsabilitatem. Sunt enim, qui talem culpam quidem renuentes responsabilitatem collectivam admittere volunt. De cetero non sine ratione Pius XII loquens de quaestione culpae collectivae

statim omnes homines in conspectu crucis Divini Salvatoris collocat. Solum ibi, qui accusant, hypocrisim et pharisaeismum serio evitabunt.

Ecclesia praesentem lamentabilem statum societatis humanae merito ad Liberalismum et subsequentem antiliberalem Totalitarismum reducit, uti ex utroque Sermone elucet. Hinc nil restat nisi ad illum ordinem redire, quem illa systemata in sociali vita praetermittendum esse et posse putabant, immo adhuc putant. Redeundum est ad ordinem Divinum, maxime ad ius naturale. Debemus in actum deducere, quod ut principium sanandi et reformandi inculcare Pius XII non desinit: persona humana est origo et finis vitae socialis.

Ecclesia vero, quae ipsa luce huius principii splendet, omnes alias communitates illuminare apta est. Unde cum Supremo Pastore, cum Ecclesia « aenigma » aeque funestum ac crudele modernae societatis solvere et tollere intendamus. In omni casu Pius XII monet: amemus Ecclesiam, quae est Ecclesia « sancta et fortis ».

G. GUNDLACH, S. I.

3 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Consistorium secretum

(*AAS* XXXVIII [7 mart. 1 apr. 1946] p. 101)

Feria secunda, die XVIII mensis Februarii anno MCMXLVI, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur.

I - CAMERARIUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Fumasoni Biondi detulit ac reddidit perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Beatissimo Patri, qui eam tradidit Reverendissimo Cardi-

nali Tedeschini, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Cardinalium Camerario.

II - ALLOCUTIO SS.MI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES

Tribus potissimum de causis sacrum hodie Collegium vestrum convocavimus, ut illud nempe novis adlectis Purpuratis Patribus suppleamus, ut de novorum curemus Episcoporum cooptatione, utque de quattuor Beatis Caelitibus sanctitudinis infula decorandis ex translaticio more tractemus.

Multas profecto gravissimasque postremis hisce annis Catholicae Ecclesiae Senatus iacturas fecit; ac cupimus heic Eminentissimos hos viros maerenti animo commemorare, quos Nos, quos vos bonique omnes tantopere desideramus, quibusque a summo Pastorum Principe sempiternam requietem suorumque laborum ac virtutum praemium supplices imploramus. Quominus autem novos conlegas in amplissimum ordinem vestrum maturius cooptaremus, variae ac multiplices prohibuere difficultates, in quibus eas praesertim recordamur ex bellica ac diuturna conflagratione ortas, quae quidem universam populorum consortionem adversas infensasque in partes diffractam tenebat, quaeque maris, caeli terrarumque itinera vel omnino interclusa, vel incerta atque insidiosa habebat.

Hodie tandem positis armis, quamvis nondum veri nominis pax fatigato ac trepido humano generi affulgeat, Nobis licet hoc propositum, iam diu in mente versatum, ad rem deducere; idque eo libentius facimus, quod Nobis datur viros de re catholica deque patria cuiusque sua meritissimos sacrae Purpurae maiestate honestare. Cumque primum eveniat ut lectissimi Praesules, e quinque terrarum orbis partibus in Romanum clerum adsciti, summo laticlavii honore exornentur, illud in nova luce ponitur, quod peculiaris est Catholicae Ecclesiae nota: eam nempe

non ad aliquam tantummodo stirpem, gentem, nationemve pertinere, sed ad singulos universos humanae familiae populos; quos quidem, divino Iesu Christi sanguine redemptos, materno animo amplectitur omnes, ac fraterna invicem caritate copulatos ad supernam patriam perpetuoque mansuram convertit ac dirigit.

Ac praeterea Dioeceses haud paucae postremis hisce mensibus suo fuere viduatae Pastore, quibus opus est, pro apostolico, quo divinitus fungimur, munere, ut rite consulamus. Res gravissima, ut probe nostis, agitur; quandoquidem cum ea totius christiani gregis status, disciplina, incrementa coniunguntur quam maxime. Vocamur siquidem ad eos deligendos prudentissimos pientissimosque viros, qui « forma facti gregis ex animo »[1] sibi creditos populos ad aeternae veritatis pascua ducant, divinae gratiae pabulo enutriant, suaeque vitae exemplo virtutisque nitore, non minus quam auctoritate sua, regant ac moderentur. « Grandis honor — ut Decessoris Nostri Gregorii Magni verbis utamur — sed grave pondus istius est honoris »[2]. Quamobrem ad causam eiusmodi decernendam, quotiescumque tractanda occurrit, sedulo diligentique studio accedimus, ac divinae innixi illius gratiae auxilio, quam Christus Dominus Ecclesiae Sponsae suae suoque in terris Vicario ad consummationem usque saeculi pollicitus est.

Postquam igitur Spiritum Sanctum Paraclitum suppliciter deprecati sumus, ut superni luminis sui fulgore mentem Nostram collustrare benigne velit, hos Episcopos renuntiamus ac publicamus.

III - CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

Id tamen non ante facimus, quam praeclarissimos duos ac triginta viros in Patrum Cardinalium Collegium adscri-

---

[1] *I Petr.*, V, 3.
[2] *Hom. in Ev.*, II, 26, 5; *ML.*, 76, 1200.

bamus, quos sua quemque virtus ac sapiens variorum administratio munerum dignos profecto effecere, qui hoc honore decorarentur.

Hi autem sunt:

Gregorius Petrus Agagianian, Ciliciae Armenorum Patriarca;

Ioannes Glennon, Archiepiscopus S. Ludovici;

Benedictus Aloisi Masella, Archiepiscopus titulo Caesariensis in Mauritania et Apostolicus in Brasilia Nuntius;

Clemens Micara, Archiepiscopus titulo Apamenus in Syria, Apostolicus in Belgica Nuntius itemque Apostolicus in Luxemburgensi Civitate Internuntius;

Adamus Stephanus Sapieha, Archiepiscopus Cracoviensis;

Eduardus Mooney, Archiepiscopus Detroitensis;

Iulius Saliège, Archiepiscopus Tolosanus;

Iacobus Carolus Mac Guigan, Archiepiscopus Torontinus;

Samuel Stritch, Archiepiscopus Chicagiensis;

Augustinus Parrado y Garcia, Archiepiscopus Granatensis;

Aemilius Roques, Archiepiscopus Rhedonensis;

Ioannes de Jong, Archiepiscopus Ultraiectensis;

Carolus Carmelus de Vasconcellos Motta, Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia;

Petrus Petit de Julleville, Archiepiscopus Rothomagensis;

Normannus Gilroy, Archiepiscopus Sydneyensis;

Franciscus Spellman, Archiepiscopus Neo-Eboracensis;

Iosephus Maria Caro Rodriguez, Archiepiscopus S. Iacobi in Chilia;

Theodosius Clæmens de Gouveia, Archiepiscopus Laurentii Marques;

Iacobus de Barros Camara, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii;

Henricus Pla y Deniel, Archiepiscopus Toletanus;

Emmanuel Arteaga y Betancourt, Archiepiscopus S. Christophori de Habana;

Iosephus Frings, Archiepiscopus Coloniensis;

Ioannes Gualbertus Guevara, Archiepiscopus Limanus;

Bernardus Griffin, Archiepiscopus Westmonasteriensis;

Emmanuel Arce y Ochotorena, Archiepiscopus Tarraconensis;

Iosephus Mindszenty, Archiepiscopus Strigoniensis;

Ernestus Ruffini, Archiepiscopus Panormitanus;

Conradus von Preysing, Episcopus Berolinensis;

Clemens Augustinus von Galen, Episcopus Monasteriensis;

Antonius Caggiano, Episcopus Rosariensis;

Thomas Tien, Episcopus titulo Ruspensis, ac Vicarius Apostolicus Tsingtaoensis;

Iosephus Bruno, ab actis Sacri Consilii cleri populique disciplinae praepositi.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales. (*Sequuntur nomina Cardinalium creatorum*).

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

In praesens autem superest ut Ecclesiis, suo viduatis Pastore, consulamus.

IV - OPTIO ECCLESIARUM

Tum Rev.mus Cardinalis Eugenius Tisserant, dimisso Titulo Sanctae Mariae supra Minervam, optavit Ecclesiam suburbicariam Portuensem et Sanctae Rufinae. Quo ex aula egresso, Beatissimus Pater, panditam optionem benigno favore prosequi intendens, providit Ecclesiae Portuensi et S. Rufinae de Rev.mo Eugenio S. R. E. Presbytero Card. Tisserant eum praeficiens in Episcopum et Pastorem, prout in decreto expediendo. In aulam consistorialem iterum ingressus, Rev.mus Card. Tisserant suum locum petiit postremum inter Cardinales Ordinis Episcopalis.

Dein Rev.mus Cardinalis Dominicus Iorio, Diaconus Sancti Apollinaris, optavit ad Ordinem Presbyterorum. Quam optionem Beatissimus Pater benigno favore excepit, elevans Diaconiam S. Apollinaris, pro hac vice, in Titulum Presbyteralem.

Item Rev.mus Cardinalis Maximus Massimi. Diaconus Sanctae Mariae in Porticu, optavit ad Ordinem Presbyterorum: eamque optionem Beatissimus Pater pariter excipiens, Diaconiam S. Mariae in Porticu, pro hac vice, in Titulum Presbyteralem elevavit.

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS* xxxviii [7 mart. - 1 apr. 1946] p. 152).

Die 25 mensis Februarii a. 1946, nobilissimis verbis, quibus, adstantibus E.mis ac Rev.mis Patribus Cardinalibus, Exc.mus Vir Antonius Carneiro-Pacheco, Lusitaniae Orator extra ordinem, qua Decanus praesentium Legatorum ceterarum Nationum devoti gratique animi sensus post recens Consistorium Beatissimo Patri expressit, Sanctitas Sua haec benigne respondit.

Monsieur l'Ambassadeur,

L'élévation des pensées, la noblesse des sentiments que l'illustre Corps Diplomatique vient de Nous exprimer par l'organe de Votre Excellence, son éloquent et délicat interprète, est bien à la hauteur de cette circonstance exceptionnellement solennelle.

L'hommage que vous avez voulu venir Nous rendre aujourd'hui Nous émeut plus profondément que Nous ne saurions dire. Et pourtant, à la grande consolation de Notre coeur, au grand réconfort de Notre âme, par-dessus l'hommage, Nous voyons, dans cette démarche commune la manifestation d'une adhésion spontanée aux grands principes de paix et d'union que, depuis Notre avènement, Nous avons sans cesse rappelés au monde; Nous y voyons surtout le témoignage le plus convaincant d'une volonté unanime de collaborer dans cet esprit à la grande restauration de la société humaine, à l'établissement d'un ordre nouveau fondé sur la vérité, la justice et l'amour.

N'est-ce pas cela en effet que signifie cette assemblée incomparable des Représentants d'un si grand nombre de nations, réunis autour de Nous, si autorisés par leur mission officielle, en même temps que si éminents par leurs qualités et leurs mérites personnels, en présence de ce Sacré

Collège qui, lui aussi, est composé de nations différentes répandues sur toute la surface du globe?

Cette double universalité du Sacré Collège et du Corps Diplomatique donne une image visible de la vraie supranationalité de l'Eglise qui, loin de porter ombrage aux nationalités particulières et de prétendre les fondre toutes ensemble dans une grise uniformité, les favorise, au contraire et met en valeur, grâce à une heureuse harmonisation, les caractères et les ressources de chacune dans le respect de leur autonomie et de leur originalité.

Heureuse harmonisation, disons-Nous, et la comparaison Nous semble appropriée. Il est une sorte d'harmonie, où les parties d'accompagnement, dans leurs accords verticaux, ne font que docilement souligner une mélodie et humblement servir le chant d'un ou de quelques solistes. Il en est une autre: elle résulte uniquement du concours de toutes les voix qui, dans la diversité de timbre, de mouvement, d'élan, avec même des nuances dans l'expression de la pensée et du sentiment, chantent, chacune à sa manière, ce que leur dicte à toutes l'inspiration commune. Celle-ci est la grande polyphonie classique. Telle est l'harmonie qui devrait résulter de l'accord de toutes les nations, grandes et petites, fortes et faibles, différentes de physionomie ou d'intérêts particuliers, mais toutes également admises à se faire entendre parce que toutes fondées sur la même base, la dignité personnelle de l'homme complet, parce que toutes enflammées d'un même désir de paix.

Il a pu sembler, tandis que se déroulait le drame, que le concert fût partout muet. Il ne l'était point et, si le tumulte assourdissant des armes en étouffait la résonnance, Nous n'avons pourtant point cessé, ici, de l'entendre. Comment oublier ces messes des nuits de Noël, comment oublier ces imposantes et graves cérémonies de supplications dans Notre Basilique de St-Pierre où, côte à côte, les diplomates des nations les plus diverses, les plus distantes, même des nations en conflit, Nous entouraient? De tels spec-

tacles n'étaient possibles qu'ici dans l'atmosphère créée par la haute idée de la supranationalité de l'Eglise. Bien plus, durant toute cette guerre, la plus effroyable qui se soit jamais déchaînée sur l'humanité, au sein de ce monde secoué par l'ouragan qui faisait rage, au centre même de ce pays entraîné tragiquement dans le tourbillon affolant — cette Cité du Vatican, cet Etat minuscule de quelques arpents et sans défense, cernée de tous côtés par les rafales de feu, restait, territorialement et juridiquement, mais surtout spirituellement et moralement, comme une oasis de paix dont le vent brûlant n'osait franchir les abords. Nous en rendons au Seigneur d'humbles actions de grâces, mais sachant aussi de quel appoint fut pour Notre effort d'absolue impartialité et pour Notre zèle au service de la paix la compréhension et le doigté des diplomates accrédités près de Nous, Nous sommes heureux de leur en dire Notre merci.

Votre illustre Corps a su montrer, même en des conjonctures si extraordinairement épineuses, quel est le rôle de la diplomatie dans sa conception la plus haute et comment, encore au-dessus des remarquables services qu'elle rend par la solution amicale de tant de questions particulières et de problèmes délicats, elle constitue une permanente rencontre de la grande famille des nations.

Avec une exquise finesse de sentiment, votre interprète vient de rappeler Nos efforts pour soulager les innombrables et indicibles souffrances, misères et détresses dérivées de la guerre; une fois de plus Nous tenons à manifester Notre profonde reconnaissance envers les nations qui Nous ont prêté leur généreux concours en ces oeuvres de chrétienne charité. Il parlait aussi des messages et autres démarches multipliés par Nous en vue de défendre et promouvoir « les grands principes élémentaires de l'ordre moral, les droits de la vérité et de la justice », et il Nous assurait en même temps que, si « Notre voix n'a pas été toujours écoutée, jamais elle ne fut sans un écho profond

dans les consciences ». Nous le croyons volontiers et chaque jour Nous en arrivent, des sources les plus variées comme les plus lointaines, de réconfortants témoignages.

En aucune occasion Nous n'avons voulu dire un seul mot qui fût injuste, ni manquer à Notre devoir de réprouver toute iniquité, tout acte digne de réprobation, en évitant néanmoins, alors même que les faits l'eussent justifiée, telle ou telle expression qui fût de nature à faire plus de mal que de bien, surtout aux populations innocentes courbées sous la férule de l'oppresseur. Nous avons eu la préoccupation constante d'enrayer un conflit si funeste à la pauvre humanité. C'est pour cela, en particulier, que Nous Nous sommes gardé, malgré certaines pressions tendancieuses, de laisser échapper de Nos lèvres ou de Notre plume une seule parole, un seul indice d'approbation ou d'encouragement en faveur de la guerre entreprise contre la Russie en 1941. Assurément, nul ne saurait compter sur Notre silence dès lors que sont en jeu la foi ou les fondements de la civilisation chrétienne. Mais d'autre part, il n'est aucun peuple à qui Nous ne souhaitions avec toute la sincérité de Notre âme, de vivre dans la dignité, dans la paix, dans la prospérité à l'intérieur de ses frontières. Ce que Nous avons eu toujours en vue dans toutes les manifestations de Notre pensée et de Notre volonté, c'était de reconduire les peuples du culte de la force au respect du droit et de promouvoir entre tous la paix, paix juste et solide, paix apte à garantir à tous une vie au moins tolérable.

Une telle paix ne sera pas l'oeuvre d'un jour: elle coûtera beaucoup de temps, beaucoup de peines. Si l'on Nous demande en quoi les Représentations diplomatiques peuvent, indépendamment de leurs fonctions officielles, la favoriser, il Nous semble pouvoir signaler à leur bonne volonté une double sphère d'activité.

La première est d'ordre pratique; elle vise à des réalisations immédiates. Les diplomates ont désormais, la guerre finie, maintes occasions de faciliter dans la mesure du

possible les communications et les relations de Pays à Pays. Or, à présent que des millions d'hommes, honnêtes et laborieux, épient avec une impatience anxieuse le moment de retourner à leur patries, à leurs familles, dont ils sont séparés peut-être depuis de longues années, que d'autres sont tristement en quête d'une nouvelle patrie pour y vivre une nouvelle vie parmi de nouvelles occupations, quelle oeuvre de charité et de paix on accomplit en leur venant en aide!

Dans l'autre sphère, le fruit du travail est à bien plus longue échéance. Souvent le monde diplomatique se trouve en contact avec le monde de la propagande. Mais cette propagande doit se faire une loi sainte et sacrée de la vérité et de l'objectivité. Quelle contribution on apporte à l'oeuvre de la pacification universelle, en coopérant, comme savent et peuvent faire d'habiles et généreux diplomates, à un si digne objet!

De leur côté, Nos Vénérables Frères du Sacré Collège, presque tous pasteurs des âmes dans leurs nations respectives, y porteront, avec l'éclat de la pourpre romaine, la grande lumière de l'Eglise, une dans son universalité, universelle dans son indivisible unité; ils y porteront, avec la sollicitude de leur dévouement, le coeur maternel de l'Eglise et sa tendresse pour tous les hommes; ils y porteront le zèle de l'Eglise à promouvoir la vitalité, la santé, la paix de la société humaine et de chaque patrie sur les bases et selon l'ordre établis par le Créateur, Souverain tout-puissant et Père tout aimant.

C'est Lui que, du plus profond de Notre âme, Nous invoquons pour que, vous comblant de ses bénédictions et de ses faveurs, et fécondant de sa grâce votre noble mission, Il donne, par son accomplissement, à chacune de vos patries et à la grande famille des peuples et des nations l'unité, la prospérité, la grande et divine paix.

5 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Litterae Encyclicae

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS: CCCL ELAPSIS ANNIS, EX QUO RUTHENORUM ECCLESIA APOSTOLICAE SEDI FELICITER COAGMENTATA EST.

(*AAS.* XXXVIII [25 ian. 1946] p. 33).

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Orientales omnes Ecclesias — quod historia docet — amantissima semper voluntate Romani Pontifices prosecuti sunt; atque adeo earum discessum ex unius ovilis caulis gravate ferentes, ac « nulla quidem humana re, sed caritate divina communisque salutis studio permoti »,[1] eas iterum iterumque invitaverunt ut ad unitatem illam, ex qua misere discessissent, quam citissime se reciperent. Eis siquidem omnino certum exploratumque est ex eiusmodi coniunctione, redintegrata feliciter, cum rei christianae universae, tum peculiari modo Orientalibus ipsis uberrimos fructus ortum iri; quandoquidem ex plena perfectaque christianorum omnium unitate mysticum Iesu Christi corpus eiusque singula membra magnum incrementum non consequi non possunt.

Quam ad rem animadvertendum est minime esse Orientalibus timendum, ne iidem, fidei ac regiminis unitate restituta, legitimos suos ritus et usus relinquere cogantur; quod quidem Decessores Nostri non semel clare luculenterque edixerunt. « Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos, vel Successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos » [2].

Quamquam vero felix ille dies nondum advenit, quo omnes

---

[1] LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis*, d. d. 20 Iun. 1894, *Acta Leonis XIII*, t. XIV, p. 201.

[2] LEO XIII, loc. cit.

orientis populos Nobis liceat, ad unum reversos ovile, paterno pectore amplecti, laeti tamen non paucos cernimus ex hisce regionibus filios, qui, cum Beati Petri Cathedram veluti catholicae unitatis arcem agnoverint, hac in eadem unitate tuenda confirmandaque tenacitate summa perseverant.

In quibus quidem hodie peculiari titulo Ruthenorum Ecclesiam memorare libet, non modo quod assectatorum numero praestat fideique retinendae studio, sed quod etiam quinquagesimus ac trecentesimus iam volvitur annus, ex quo eadem ad Apostolicae Sedis communionem feliciter restituta est. Quem faustitatis eventum si eos potissimum addecet, quorum res est, grato animo celebrare, at opportunum etiam ducimus in catholicorum omnium memoriam revocare, tum ut de praeclaro hoc accepto beneficio immortales Deo grates agant, tum etiam ut una Nobiscum eum supplices adprecentur, ut praesentes dilectissimi huius populi angustias anxitudinesque relevare benigne ac mitigare velit, eiusque sanctissimam religionem tutari, constantiam regere, fidem servare incolumem.

I

Putamus autem, Venerabiles Fratres, non sine utilitate fore, si eventus, de quibus agitur, per has Litteras ad historiae fidem presse breviterque attingamus. Ac principio animadvertendum est, antequam etiam Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctio annis MDLXXXXV et MDLXXXXVI laetis auspiciis Romae peracta et in Brestensi urbe confirmata esset, non semel hos populos ad Romanam Ecclesiam, utpote ad unam totius christianae communitatis matrem, respexisse, eidemque debitam habuisse, pro officii sui conscientia, obedientiam venerationemque. Ita, exempli gratia, S. Vladimirus — eximius ille Princeps, quem paene innumeri Russicae dicionis populi suae ad christianam fidem conversionis auctorem fautoremque venerantur — quamvis liturgicos ritus sacrasque caerimonias ab Orientali fuisset Ecclesia mutuatus, non solum in catholicae Ecclesiae unitate, officii memor, perstitit, sed curavit etiam diligenter ut inter Apostolicam Sedem Nationemque suam amicae mutuaeque intercederent rationes. Ex iis autem non pauci, qui ex nobili eius genere orti sunt, postquam etiam Constantinopolitana Ecclesia diro schismate seiuncta est, Romanorum Pontificum Legatos debitis honoribus excepere, fraternaeque necessitudinis vinculis cum ceteris catholicorum communitatibus devincti sunt.

Quamobrem haud absone egit ab antiquissimis memoriae traditis Ruthenae Ecclesiae monumentis Isidorus Kioviae Russiarumque Metropolita, cum anno MCDXXXIX in Oecumenico Concilio, Florentiae celebrato, decretum apposito nomine subscripsit, quo Graeca fuit Latinae Ecclesiae sollemniter coagmentata. Nihilo secius a Concilio reversus, etsi Kioviam in sui honoris sedem magno cum gaudio receptus est, subinde tamen Mosquae in carcerem detrusus, fugam abripere atque ex territorio cedere coactus est.

Attamen felicis huius Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionis memoria decursu aetatis non omnino obsolevit, quamvis non una occurreret causa, ob tristissimas temporum condiciones, cur eadem penitus deleretur. Ita novimus anno MCDLVIII Gregorium Mammas Constantinopolitanum Patriarcham hac in alma urbe Gregorium quemdam Ruthenorum Metropolitam consecrasse, qui tunc Lithuaniae Magno Duci subiciebantur; ac novimus etiam unum alterumve ex Metropolitae huius successoribus unitatis vinculum cum Romana Ecclesia redintegrare conatum esse, licet declaratam sollemnemque fieri unitatis huius promulgationem adversa rerum adiuncta non permitterent.

Vertente autem ad finem XVI saeculo, magis cotidie magisque manifestum patuit optatam Ruthenorum Ecclesiae, gravibus oppressae malis, renovationem reformationemque, nisi a redintegrata cum Apostolica Sede coniunctione non esse sperandam. Vel ipsi rerum gestarum scriptores, qui e dissidentibus sunt, infelicissimum huius Ecclesiae statum describunt aperteque confitentur. Ac Ruthenorum proceres anno MDLXXXV Varsaviae congregati, cum suas querelas vividis acribusque verbis Metropolitae proponerent, suam Ecclesiam talibus vexari malis asseverarunt, qualibus maiora numquam fuissent, neque in posterum futura esse possent.

Neque iidem dubitabant Metropolitam ipsum, Episcopos coenobiorumque moderatores in causam vocare, gravibusque incusationibus coarguere; qua quidem in re, cum ex laicorum ordine homines adversus hierarchiam exsurgerent, ecclesiasticae disciplinae vincula non parum relaxari videbantur.

Nihil mirum igitur si ipsi tandem aliquando sacrorum Antistites, variis in cassum adhibitis remediis, solam Ruthenae Ecclesiae spem in conciliando ad catholicam unitatem reditu positam esse censuerunt. Eo tempore Princeps Constantinus Ostrogiensis — quo nemo inter Ruthenos erat potentior — reditui eiusmodi exsequendo favebat, si modo tamen universa Orien-

talis Ecclesia Occidentali adstipularetur; at postea cum idem cerneret eiusmodi consilium non ita, ut ipsi in optatis erat, initum iri, coniunctioni huic instaurandae acerrime adversatus est. Nihilo secius postridie calendas Decembris, anno MDLXXXXIV, Metropolita ac sex Episcopi, collatis invicem consiliis, communem ediderunt declarationem, qua se ad concordiam optatamque unitatem promovendam paratos esse edixerunt. In quam quidem sententiam, ita scripserunt, devenimus « considerantes cum ingenti dolore nostro quanta impedimenta homines habeant ad salutem absque hac unione Ecclesiarum Dei, in qua incipiendo a Christo Salvatore nostro et sanctis illius apostolis praedecessores nostri perstiterunt, ac unum summum Pastorem primumque Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris — prout ea de re Concilia et canones manifestos habemus — et non quempiam alium praeter Sanctissimum Papam Romanum profitebantur, illique parebant in omnibus ac quamdiu id uniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesia Dei ordo cultusque divini incrementum fuit ».[3]

Antequam vero hoc laudabile consilium ad rem feliciter deducere possent, diuturnas intercedere difficillimasque negotiationes opus fuit. Tandem, postquam a. d. XX calendas Iulias, anno MDLXXXXV, sacrorum omnium Ruthenorum Antistitum nomine nova edita fuerat eiusdem generis declaratio, Septembri mense vergente res eo progressa erat, ut Cyrillus Terletskyj Episcopus Luceoriensis ac Constantinopolitani Patriarchae Exarchus, itemque Hypatius Potiej Episcopus Vladimiriensis, utpote ceterorum omnium Episcoporum procuratores, romanum iter suscipere possent. Quo in itinere documentum ab eis allatum est, quo condiciones proponebantur, quibus sacrorum omnes Rutheni Antistites ad Ecclesiae unitatem amplectendam parati erant. Legatis magna cum benevolentia acceptis, Decessor Noster fel. rec. Clemens VIII, quod documentum attulerant, Purpuratorum Patrum Consilio diligenter excutiendum probandumque commisit. Mox initae de universa causa rationes felicem tandem optatumque habuere exitum: siquidem a. d. X calendas Ianuarias a. MDLXXXXVI iidem Legati coram Summo Pontifice admissi, postquam Episcoporum omnium declarationem eidem in amplissimo conventu tradidere, sollemnem suo eorumque nomine catholicae fidei professionem ediderunt ac debitam spopondere obedientiam debitumque obsequium.

Eodem die Decessor Noster Clemens VIII laeti huius eventus

---

[3] BARONIUS, *Annales*, t. VII, Romae 1596, Appendix, p. 681.

notitiam per Apostolicam Constitutionem *Magnus Dominus et laudabilis nimis* [4] cum universo terrarum orbe gratulabundus communicavit. Quanto autem cum gaudio quantaque cum benevolentia Ruthenorum gentem ad ovilis unitatem receptos Romana Ecclesia amplexa fuerit, ex Apostolicis etiam Litteris patet *Benedictus sit Pastor* die VII mensis Februarii anno MDLXXXXVI datis, quibus Pontifex Maximus Metropolitam ceterosque Ruthenos Episcopos de feliciter adepta totius eorum Ecclesiae cum Apostolica Sede coagmentatione coniunctioneque certiores reddit. Quibus quidem Litteris Romanus Pontifex, postquam quae Romae hac de causa gesta ac pertractata fuerant breviter enarrando explicavit, atque susceptum tandem ex divina misericordia opus grato extulit animo, Ruthenae Ecclesiae usus legitimosque ritus edixit inviolatos servari posse. « Ritus enim et caerimonias vestras, quae fidei catholicae integritatem et mutuam Nostram coniunctionem nequaquam impediunt, eadem ratione et modo, quo a Concilio Florentino permissum est, et Nos quoque vos retinere permisimus » [5]. Deinde vero se ab augusto Poloniae Rege petiisse asseverat, ut non modo Episcopos et quae ad eos pertinerent, patrocinio suo tueri vellet, sed eos etiam amplissimis decorare honoribus et in Regni Senatum, prouti iisdem in votis erat, adsciscere. Ac postremo sacrorum illos Antistites fraterno adhortatur animo, ut in generale ex tota provincia Concilium quam primum conveniant, atque inibi adeptam Ruthenorum cum Catholica Ecclesia coniunctionem ratam habere ac confirmare velint.

Hoc Concilium, quod non modo omnes Rutheni Episcopi aliique multi ex ecclesiasticis viris una cum Regiis Legatis, sed Latini etiam Leopoliensis, Luceoriensis ac Chelmensis Dioecesis Antistites participarunt, qui Romani Pontificis personam agerent, in Brestensi urbe celebratum est; et quamvis Episcopi Leopoliensis et Premisliensis a dato consensu misere discessissent, attamen a. d. VIII idus Octobres, anno MDLXXXXVI, Ruthenae communitatis cum Catholica Ecclesia coniunctio feliciter confirmata ac conclamata fuit. Ex qua quidem conciliatione consociationeque, quae Ruthenae gentis necessitatibus tantopere respondebat, fore sperandum profecto erat, ut uberes, consentientibus omnibus, ederentur fructus.

Verumtamen venit « inimicus homo » et « superseminavit zizania in medio tritici »; [6] sive nempe ob quorundam virorum

---

[4] A. THEINER, *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, p. 240 ss.
[5] A. THEINER, loc. cit., p. 251.
[6] MATTH., XIII, 25.

principum cupidinem, sive ob susceptas in re politica inimicitias, sive denique ob praeviam neglegenter habitam hac de re cleri populique institutionem praeparationemque, contentiones acerrimae diuturnaeque calamitates subsecutae sunt, quibus interdum hoc optimis auspiciis initum opus, ne miserandum in modum submergeretur, pertimescendum videbatur.

Quod quidem si in ipso rei initio ob insectationes simultatesque non contigit, quibus non modo dissidentes fratres, sed catholici etiam nonnulli dabant operam, Metropolitis potissimum tribuendum est Hypatio Potiej et Iosepho Velamino Rutskyj, qui indefatigabili studio hanc causam tutari ac provehere contenderunt; idque peculiari modo effecere ut sacerdotes coenobiorumque sodales sacris disciplinis bonisque moribus conformarentur omnesque christifideles rectis instituerentur germanae fidei praeceptis.

Non multos autem post annos inceptum hoc conciliationis opus martyrii cruore consecratum est: siquidem pridie idus Novembres, anno MDCXXIII, Iosaphatus Kuncevitius, Archiepiscopus Polocensis et Vitebscensis, sanctitudine vitae et apostolico ardore praeclarissimus ac catholicae unitatis adsertor invictus, a schismaticis acerbissima simultate conquisitus ad necem, telis transfossus immanique securi necatus est. Sed sacer huius quoque martyris sanguis christianorum semen quodammodo factus est; nam parricidae ipsi praeter unum omnes, acti facinoris paenitentes, antequam capitali poena plecterentur, eiurato schismate, suum scelus detestati sunt. Pari modo quod Meletius Smotrytskyj, acerrimus ad Polocensem obtinendam sedem Iosaphati competitor, anno MDCXXVII ad catholicam fidem rediit, et licet aliquandiu in utramque vacillavisset partem, mox tamen pactum Ruthenorum reditum ad Catholicae Ecclesiae gremium strenuo animo ad mortem usque tutatus est, id quoque sanctissimi huius martyris patrocinio tribuendum esse videtur.

Attamen difficultates omne genus in annos augebantur, quibus incepta feliciter eiusmodi reconciliatio praepediebatur. Gravissimum autem illud erat, quod Poloniae Reges, qui sub initium rem patrocinio suo promovere videbantur, externorum deinceps hostium vi, domesticarumque factionum dissidiis coacti, catholicae unitatis osoribus, qui non deerant, maiora usque concessere. Quamobrem brevi tempore haec sanctissima causa eo devenit, quemadmodum ipsi Rutheni Episcopi confessi sunt, ut nullius iam niteretur praesidio, nisi Romanorum Pontificum, qui, amantissimis datis litteris impertitisque pro facultate au-

xiliis, ac praesertim per Apostolicum in Polonia Nuntium, Ruthenam Ecclesiam forti paternoque pectore tuiti sunt.

Quo autem tristiora volvebantur tempora, eo vel magis enituit sacrorum Ruthenorum Antistitum sollertia; qui quidem et rudem plebem ad christiana praecepta instruere, et sacerdotes haud satis excultos ad altiorem provehere sacrae doctrinae gradum, et monachos denique, si remissi eorum mores iacerent, renovato disciplinae ardore sanctitudinisque afflatu imbuere enisi sunt. Neque iidem cecidere animo, cum anno MDCXXXII ecclesiastica bona dissidentium fratrum hierarchiae, paulo ante constitutae, magna fuere ex parte attributa, cumque in pactis inter Cosacos Polonorumque Regem initis instauratam Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionem esse delendam decretum est; quin immo creditos sibi greges constanter tenaciterque defendere perrexerunt.

Deus autem, qui populum suum nimiis afflictationibus excruciari non sinit, anno tandem MDCLXVII pace Andrussoviae composita, Ruthenae Ecclesiae, post tot aerumnas atque iacturas, tranquilliora tempora affulgere iussit; ex qua quidem parta tranquillitate, maiora in dies incrementa religio sancta suscepit. Etenim christiani mores christianaque fides ita in exemplum floruere, ut in illis etiam duabus Eparchiis, quae anno MDLXXXXVI ab unitate seiunctae misere permanserant, de reditu ad catholicum ovile auctiore cotidie cum omnium consensione ageretur. Itaque feliciter evenit, ut anno MDCLXXXXI Premisliensis Eparchia, Leopoliensis autem anno MDCC Apostolicae Sedi coagmentarentur; atque adeo universa fere Ruthenorum gens, quae eo tempore intra Poloniae fines commorabatur, catholica tandem frueretur unitate. Rebus igitur cotidie magis florentibus, magno cum christianae rei emolumento, anno MDCCXX Metropolita ceterique Ruthenae Ecclesiae Episcopi Zamosciam in Concilium convenerunt ut, collatis inter se consiliis, succrescentibus christifidelium necessitatibus aptius pro facultate prospicerent, cuius ex Concilii decretis — quae Decessor Noster ven. mem. Benedictus XIII per Apostolicam Constitutionem *Apostolatus officium* d. d. XIX mensis Iulii, a. MDCCXXIV confirmata habuit — haud mediocres obvenerunt Ruthenorum communitati utilitates.

Attamen imperscrutabili Dei consilio factum est ut, XVIII saeculo iam vergente, haec eadem communitas insectationibus vexationibusque non paucis afficeretur; quae quidem, postquam Poloniae res publica discerpta est, eis in partibus, quae Russorum Imperio coniunctae erant, acriores interdum acerbioresque

fuerunt. Atque, Alexandro I Imperatore vita functo, consilium de industria ac temerario ausu susceptum est Ruthenorum cum Romana Ecclesia unitatem penitus infringendi. Iam antea, huius gentis Eparchiae ab omni fere cum Apostolica Sede commercio interclusae erant. Sed mox Episcopi electi sunt, qui, schismatis studio imbuti atque permoti, pedisequi civilis auctoritatis fautores evadere possent; in Vilnensi Seminario, ab Imperatore Alexandro I excitato, utriusque ritus clericis doctrina impertiebatur Romanis Pontificibus infesta; Basilianus Ordo, cuius sodales Catholicae Ecclesiae orientalibus ritibus fruenti maximo semper adiumento fuerant, proprio regimine propriaque administratione privatus, eius monachi ac coenobia Eparchialibus Consistoriis penitus subiecta; ac denique latini ritus sacerdotes ne sacramenta aliave religionis munimina Ruthenis subministrarent, gravibus poenis prohibiti. Ac tandem, proh dolor, anno MDCCCXXXIX Ruthenae Ecclesiae cum dissidente Russorum Ecclesia copulatio sollemniter conclamata est.

Quisnam enarraverit, Venerabiles Fratres, dolores, iacturas rerumque angustias, quibus nobilissima Ruthenorum gens eo tempore affecta est, idcirco solummodo in crimen in culpamque vocata, quod, per vim, per fraudem cum esset ad schisma compulsa, illatae sibi iniuriae reclamitavit, ac fidem suam retinere pro facultate enisa est?

Iure igitur meritoque huius rei indignitatem Decessor Noster p. r. Gregorius XVI, in Allocutione a. d. x calendas Decembres anno MDCCCXXXIX habita, universo catholico orbi, conquerendo deplorandoque, denuntiavit; at neque sollemnes eius expostulationes reprobationesque exauditae fuere; atque adeo Catholica Ecclesia suos hos filios materno ex gremio iniqua violentia abstractos deflere debuit.

Quin immo haud multos post annos Chelmensis etiam Eparchia, ad Poloniae Regnum cum Russorum Imperio unitum pertinens, miseram eamdem sortem perpessa est; et qui christifideles a recta fide desciscere noluerunt, atque impositae anno MDCCCLXXV cum dissidente Ecclesia coniunctioni, pro officii conscientia, invicto pectore obstiterunt, iidem qua pecuniariis poenis, qua verberibus, qua exsilio indigne mulctati sunt.

At contra, hoc eodem tempore in Leopoliensi ac Premisliensi Eparchiis, quae quidem, cum Poloniae res publica discissa est, Austriae Imperio coagmentatae fuere, Ruthenorum causa tranquille placideque agebatur. Anno MDCCCVII titulus metropolitanus Halicensis inibi restitutus est, perpetuoque cum Leopoliensi Archidioecesi coniunctus. Atque in hac provincia res

tantopere floruerunt, ut duo subinde Metropolitae, Michaël Levyckyj (a. MDCCCXVI-MDCCCLVIII) ac Silvester Sembratovyč (a. MDCCCLXXXII-MDCCCLXXXXVIII), qui egregia prudentia incensoque studio dicioni quisque suae praefuerunt, ob insignes animi dotes ac singularia promerita Romana Purpura honestati, in supremum Ecclesiae Senatum cooptati sunt. Cumque catholicorum numerus magis in dies magisque augeretur, Decessor Noster fel. rec. Leo XIII anno MDCCCLXXXV novam Eparchiam, Stanislaopolitanam nempe, legitime constituit; ac sex post annos felix Galicianae Ecclesiae status peculiari modo confirmatus est, cum sacrorum omnes Antistites una cum Summi Pontificis Ablegato aliisque e clero pluribus, Leopolim convenerunt, ut ibi ex universa Provincia Concilium celebrarent et opportunas de re liturgica ac de sacra disciplina normas ederent.

Cum autem, saeculo XIX ad exitum vertente atque ineunte XX, Rutheni bene multi ob rerum oeconomicarum angustias ex Galiciana terra in Foederatas septentrionalis Americae Civitates, in Canadensem regionem et apud australis Americae Nationes transmigravissent, Decessor Noster fel. mem. Pius X, sollicito timens animo, ne hi dilectissimi filii sui, loci linguae ignari latinisque ritibus non experti, schismaticorum haereticorumque fallaciis irretirentur, vel dubitationibus erroribusque illaqueati religionem omnem misere abicerent, anno MDCCCCVII Episcopum certis facultatibus instructum pro iisdem constituit. Postea vero, cum horum catholicorum numerus necessitatesque augerentur, peculiaris Episcopus Ordinarius pro Ruthenis, ex Galicia ortis, in Foederatis Americae Civitatibus, atque alter in Canadensi Regione nominati sunt, praeter Episcopum Ordinarium, christifidelibus huius ritus destinatum, qui vel ex Subcarpatia Russa, vel ex Hungaria, vel ex Jugoslavia suas sedes transtulissent. Ac deinceps cum Sacrum Consilium christiano nomini propagando, tum Sacrum etiam Consilium Orientali Ecclesiae praepositum ecclesiasticas Ruthenorum res in iis dicionibus, quas supra memoravimus et in australis etiam Americae terris, consentaneis atque opportunis decretis normis, ordinaverunt.

Haud mirum igitur est, Venerabiles Fratres, si ob tam magna accepta beneficia Catholicorum Ruthenorum communitas non semel, occasione data, gratum animum suum suamque addictissimam voluntatem Romanis Pontificibus propalam significare voluit. Quod quidem peculiari modo anno MDCCCLXXXXV evenit, cum tertium revolutum est saeculum, postquam felix maiorum suorum cum Apostolica Sede coniunctio Romae est

habita et in Brestensi urbe confirmata. Etenim, praeterquam quod in singulis Galicianae provinciae locis faustitas opportunis celebrationibus reculta est, amplissima etiam Romam missa fuit Metropolitae et Episcoporum Legatio, quae erga Antistitem sacrorum Maximum ac Successorem B. Petri Ruthenae Ecclesiae amorem panderet, atque observantiam, venerationem, obedientiam eidem profiteretur. Quam amplissimam Legationem cum Decessor Noster p. rec. Leo XIII debitis honoribus coram admisisset, paterno eam gaudio paternaque benevolentia allocutus, Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionem summis laudibus extulit, utpote quae esset iis omnibus, qui eam sincero retinerent animo, verae lucis, inconcussae pacis supernorumque fructuum fons saluberrimus.

Neque nostra hac aetate minora fuere beneficia, quae Romani Pontifices carissimae huic genti contulere. Cum praesertim primum Europae omniumque fere Nationum bellum regiones illas pervastavit, itemque per insequentes annos, nihil iidem reliqui fecerunt, quod aliquid posset auxilii ac solacii Ruthenorum communitati impertire. Ac gravibus opitulante Deo superatis difficultatibus, quibus haec catholicorum communitas premebatur, eam cernere fuit suorum Episcoporum indefatigabili studio ceterique cleri adiutrici operae actuoso volentique animo respondere. At tamen alterum, proh dolor, accessit bellum, idque ut norunt omnes, Ruthenae hierarchiae eiusque fideli gregi multo quidem gravius multoque perniciosius. Sed antequam, Venerabiles Fratres, de praesentibus rerum asperitatibus atque angustiis breviter scribamus, quas haec Ecclesia summo cum suae ipsius vitae discrimine patitur, placet aliquid adiungere, ex quo satius illustriusque pateat quam magna, quam excelsa beneficia coniunctio illa, CCCL ante annos feliciter inita, Ruthenorum genti eorumque Ecclesiae peperit.

II

Siquidem, postquam auspicatissimae huius coagmentationis historiam summatim presseque attigimus, eiusque laetas interdum, interdum tristissimas vicissitudines vidimus, haec Nobis occurrit quaestio: quidnam Ruthenorum genti eorumque Ecclesiae eiusmodi coniunctio profuit? quaenam emolumenta utilitatesque iisdem ex Apostolica hac Sede Romanisque Pontificibus obvenere? Cui quidem quaestioni dum Nos, uti par est, respondemus, rem videmur peropportunam perutilem-

que facere, cum praesertim Brestensis huius reconciliationis osores infitiatoresque acerrimi non desint.

Ac principio animadvertendum est nullo non tempore Decessores Nostros legitimis Ruthenorum ritibus tutandis adservandisque summopere studuisse. Etenim cum eorum Antistites, per Episcopos Vladimiriensem et Luceoriensem Romam hac de causa missos, a Romano Pontifice expetivissent « ut Sanctitas Sua administrationem sacramentorum ritusque et caerimonias Orientalis Ecclesiae integre, inviolabiliter atque eo modo quo tempore unionis illis utebantur ... conservare confirmareque, pro Se et Successoribus suis nihil in hac parte innovaturis unquam, dignaretur »,[7] Clemens VIII eorum precibus benigne annuens, nihil prorsus hac in re immutandum praescripsit. Ac ne novi quidem Gregoriani calendarii usus — quod, liturgico retento orientalis ritus calendario, Ruthenis quoque usurpandum esse initio videbatur — postea iisdem impositus est; quandoquidem Iulianum calendarium ad nostra usque tempora apud eos vigere potest.

Praeterea idem Decessor Noster, litteris die XXIII mensis Februarii a. MDLXXXXVI datis, concessit ut qui suffraganei Ruthenorum Episcopi rite nominati essent, eorum electio, quemadmodum in pacta reconciliatione propositum erat, ac secundum priscam Orientalis Ecclesiae disciplinam, a Metropolita confirmaretur. Aliique Decessores Nostri indulsere ut litterarum ludos ac scholas in quibusvis Russiae partibus Metropolitae condere, easque moderatoribus ac praeceptoribus sibi gratis libere committere liciteque possent; itemque decrevere ut Rutheni, ad spiritualium favorum largitionem quod attinet, inferiore, quam ceteri catholici, loco ne haberentur; atque adeo, sicut alii christifideles, omnium indulgentiarum munerum eos voluere participes esse ac fore, si modo necessariis praescriptis condicionibus ipsi quoque obtemperarent. Paulus vero V ad eos omnes, qui litterarum disciplinarumque domicilia a Metropolitis constituta celebrarent, peculiares gratias illas pertinere voluit, quas alumnis e sodalitatibus B. M. V. in sacris aedibus Societatis Iesu constitutis, Romani Pontifices dilargiti essent; eos autem, qui Spiritualibus Exercitiis apud S.Basilii monachos vacarent, Urbanus VIII iisdem donavit indulgentiarum beneficiis, quae clericis regularibus concessa erant Societatis Iesu.

Quibus ex rebus liquido patet nullo non tempore Decessores Nostros eadem prorsus paterna caritate Ruthenos prosecutos

---

[7] Cf. A. Theiner, loc. cit., p. 237.

esse, ac ceteros latini ritus catholicos. Sed et eorum etiam hierarchiae iura ac privilegia defendere antiquissimum habuere. Nam, cum e Latinis non pauci Ruthenum ritum inferioris gradus dignitatisque esse asseverarent, cumque ex ipsis Latinis Episcopis nonnulli dictitarent Ruthenos sacrorum Antistites non integris frui Episcopalibus iuribus atque muneribus, sed sibi esse subiectos, haec Apostolica Sedes iniustas eiusmodi opinationes ac sententias reiciens, decretum edidit die XXVIII mensis Septembris a. MDCXXXXIII, in quo haec, quae sequuntur, statuit: « Referente Eminentissimo D. Cardinali Pamphilio diversa decreta Congregationis particularis Ruthenorum unitorum, SS. probavit decretum eiusdem Congregationis particularis, diei XIV Augusti proxime praeteriti, quo decernitur Episcopos Ruthenos unitos esse Episcopos, et ut tales nominari et haberi debere. Probavit eiusdem Congregationis decretum, quo decernitur Episcopos Ruthenos posse in suis Episcopatibus erigere scholas pro instruenda in litteris humanis et scientiis eorum iuventute. et Ruthenos ecclesiasticos gaudere privilegiis canonis, fori, immunitatis, libertatis, quibus gaudent sacerdotes et Ecclesiae Latinae ».[8]

Indefessa autem ac sollicita Romanorum Pontificum cura de Ruthenis ritibus adservandis tutandisque ex diuturnae illius potissimum quaestionis decursu eruitur, quae ad eiusdem ritus mutationem pertinet. Etenim, quamvis peculiares propter rationes, ab eorum voluntate omnino alienas, per longissimum temporis spatium, districtum huius mutationis vetitum laicis imponere non potuerint, ex repetitis tamen non semel vetitum illud praescribendi tentaminibus, itemque ex adhortationibus, quas ad Episcopos sacerdotesque Latinos habuere, luculenter enitet quantopere haec res Decessoribus Nostris cordi fuerit. In decreto ipso, quo Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctio anno MDLXXXXV feliciter statuta fuit, clara apertaque non ponitur interdictio ab Orientali ritu ad Latinum transeundi. Nihilominus quae iam tum Apostolicae Sedis mens fuerit, ex litteris manifestatur a Generali Praeposito Societatis Iesu anno MDCVIII datis, in quibus sodalibus scribit, in Polonia commorantibus, eos non posse, qui numquam Latino ritu fruiti fuerint, hunc eumdem ritum post initam reconciliationem suscipere, « cum praeceptum sit Ecclesiae et peculiariter in litteris unionis factae sub Clemente VIII statutum, ut unusquisque permaneat in ritu suae Ecclesiae »[9].

[8] *Acta et decr. SS. Conciliorum rec.*, col. 600, nota 2.
[9] Loc. cit., col. 602.

Sed cum frequentiores usque querelae haberentur de nobilibus Ruthenis iuvenibus latinum ritum adipiscentibus, Sacrum Consilium christiano nomini provehendo, per decretum die VII mensis Februarii a. MDCXXIV datum, praecepit « ne de cetero Ruthenis unitis, sive laicis, sive ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, et praesertim monachis S. Basilii Magni ad latinum ritum quacumque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Sedis Apostolicae licentia transire liceat »[10].

Verumtamen, cum ne hoc decretum ad effectum omnino deduceretur Sigismundus III, Poloniae Rex, intercessisset — qui quidem hoc vetitum ad ecclesiasticos solummodo viros pertinere volebat — Decessor Noster fel. rec. Urbanus VIII amplissimo huic catholicae unitatis fautori non annuere non potuit. Quapropter, quod peculiaribus ex causis lege iniunctum non fuit, hoc Apostolica Sedes assequi praeceptis monitionibusque enisa est; idque non uno nomine comprobatur.

Siquidem iam in decreti prooemio, die VII mensis Iulii a. MDCXXIV dati, quo haec latini ritus adeptio sacrorum tantummodo administris interdicebatur, statutum est Latinae Ecclesiae sacerdotes esse monendos, ne in sacris excipiendis confessionibus christifideles e laicorum ordine excitarent ad eamdem assequendam adeptionem. Ac saepenumero id genus monita iterata sunt, quae Apostolici in Polonia Nuntii ex Summorum Pontificum mandato viribus omnibus contenderunt ut optatum haberent exitum. Quod autem ne posterioribus quidem temporibus Apostolicae Sedis mens ac sententia hac in re mutata sit, ex litteris etiam patet a Decessore Nostro Benedicto XIV ad Episcopos Leopoliensem et Premisliensem anno MDCCLI datis, in quibus inter alia haec habentur: « Vestrae ad Nos delatae sunt litterae, scriptae XVII Iulii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu Graeco ad ritum Latinum, ubi bene nostis, Venerabiles Fratres, quod Nostri Praedecessores transitus hos abhorruerunt, et Nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus Graeci summopere desideramus ».[11] Ac praeterea idem Pontifex pollicitus est se repagula omnia hac in causa remoturum esse, ac tandem sollemni decreto eiusmodi transitum esse prohibiturum. Cuius tamen votis ac pollicitationibus ut iam tunc optatus responderet exitus, adversae rerum temporumque condiciones non permisere.

---

[10] Loc. cit., col. 603.
[11] Loc. cit., col. 606.

Sed tandem, postquam Romani Pontifices Clemens XIV et Pius VII decreverunt Rutheni ritus catholicos, qui in Russiarum regionibus degerent, ad Latinum ritum se convertere non posse, in conventione illa, quae *Concordia* dicitur, inter Latinos Ruthenosque Episcopos anno MDCCCLXIII, auspice Sacro Consilio rei christianae provehendae inita, eiusmodi vetitum ad Ruthenos omnes pertinere statutum est.

Ex iis, quae adhuc, Venerabiles Fratres, ad historiae fidem capitulatim breviterque scribendo persecuti sumus, facile eruitur quantopere Apostolica haec Sedes integrae Rutheni ritus conservationi invigilaverit, sive ad universam communitatem, sive ad singulos quod attinet; nemo tamen mirabitur si eadem — praecipuis ritibus illis, qui ad rei essentiam pertineant, sartis semper tectisque manentibus — ob peculiaria rerum temporumque adiuncta, minores quasdam immutationes permiserit, vel ad tempus probaverit. Ita, verbi gratia, in liturgicis ritibus nullas fieri mutationes concessit, ex iis etiam quae sensim inductae essent, nisi paucas eas, quae in Zamoscena Synodo a Ruthenis ipsis Episcopis decretae fuissent.

Verumtamen, cum vaferrimi nonnulli schismatis fautores, specie quidem ut germanam sui ritus integritatem tuerentur, re vera autem ut facilius indocta plebs, a catholica fide descsceret, antiquos usus, iam partim obsoletos, iterum inducere privata auctoritate conarentur, Romani Pontifices, pro officii sui conscientia, callidis eorum tectisque artibus aperte denuntiatis, pravis hisce conatibus obstitere, et « inconsulta Sede Apostolica, in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caerimonias, quae liturgiis ab eadem Sede probatis magis conformes esse viderentur, nisi ex gravissimis causis et accedente Sedis Apostolicae auctoritate » decreverunt. [12]

Ceterum tantum abest ut Apostolicae Sedi mens fuerit huius ritus integritati conservationique officere, ut potius Ruthenae Ecclesiae auctor fuerit ad antiquitus tradita in liturgicis rebus monumenta religiosissime colenda. Praeclara studiosae huius erga Ruthenum ritum benevolentiae significatio in nova habetur sacrorum librorum editione Romana, Pontificatu Nostro inchoata, atque ex parte iam feliciter peracta, qua Apostolica Sedes, Ruthenorum Antistitum votis libentissime concedens,

---

12 Cf. PIUS IX, Litt. *Omnem sollicitudinem*, d. d. XIII Maii a. MDCCCLXXIV, citans Gregorium XVI *Inter gravissimos*, PII IX *Acta*, VI, 317.

liturgicos eorum ritus ad avitas venerandasque eorum memorias restituere enisa est.

Iam alterum, Venerabiles Fratres, menti Nostrae occurrit beneficium, quod Ruthenorum communitati ex hac cum Apostolica Sede copulatione ortum profecto est. Per eiusmodi nempe coagmentationem nobilissima haec gens Catholicae Ecclesiae conserta est, cuius proinde vitam vivit, cuius veritate collustratur, cuius gratiae fit particeps. Hinc supernae scatebrae rivuli proficiscuntur, qui ita omnia pervadunt ac permeant, ut pulcherrimi educi queant virtutum omnium flores, atque uberes gigni saluberrimique fructus.

Etenim, dum ante factum ad unitatem reditum ipsi dissidentes fratres conquesti sunt religionem sanctam in regionibus illis fuisse depopulatam, simoniae vitium in deligendis Episcopis ceterisque sacrorum administris usque quaque grassari, ecclesiastica esse bona dissipata, corruptos monachorum mores, coenobiorum disciplinam collapsam ac christifidelium etiam cum Antistitibus suis obedientiae vincula cotidie magis infirmata esse et in discrimen adducta; contra, post adeptam unitatem, aspirante iuvanteque Deo, res in melius pedetemptim commutatae sunt. Sed quanta animi firmitate ac constantia Episcopis opus fuit, primis praesertim temporibus ob omne genus perturbationes insectationesque agitatissimis, ut ecclesiasticam ubique restaurarent disciplinam! Quanta operae adsiduitate laborumque patientia iisdem utendum fuit, ut clerum optimis moribus conformatum excitarent, ut creditos sibi greges rerum acerbitatibus vexatos consolarentur, ut eos denique, quorum anceps nutabat fides, sustentarent, omnique roborarent ope! Attamen contra omnem humanam spem effectum feliciter est, ut non modo eiusmodi auspicata unitas adversas omnes procellas eluctaretur victrix, sed ex triumphato certamine vividior etiam ac fortior emergeret. Ac non ense et verberibus, non pollicitationibus vel minis, sed eximio religiosae vitae exemplo ac quasi praeclara quadam divinae gratiae manifestatione, catholici nominis Rutheni Leopoliensem et Premisliensem dissidentes Eparchias ad unum tandem ingrediendum ovile perduxerunt.

Restituta demum tranquillitate ac pace, floridus Ruthenae Ecclesiae status, saeculo praesertim XVIII, extrinsecus etiam enituit. Cuius quidem rei testes sunt cum princeps Leopoliensis urbis templum, S. Georgio dicatum, tum sacrae aedes ac coenobia, quae Poczaioviae, Torocanii, Zyrovicii atque alibi excitata sunt, insignia quidem huius temporis monumenta.

Heic autem operae pretium esse videtur aliquid de Basilianis monachis summatim attingere, qui, impensa studiosaque opera sua, tam praeclare, tam optime hac de re universa meriti sunt. Postquam eorum coenobia, auctore Velamino Rutskyj, ad meliorem sanctioremque formam redintegrata et in Congregationem redacta fuere, inibi sodales bene multi pietate, doctrina et apostolico studio ita in exemplum floruerunt, ut religiosae vitae duces ac magistri christiano populo evaderent. In litterarum ludis ac scholis, ab se apertis, iuvenibus, saepenumero ingenio praestantibus, non modo egregiam humanarum divinarumque disciplinarum institutionem impertierunt, sed solidam etiam virtutem suam ita cum illis communicarunt, ut ceteris iidem nullo modo cederent, qui in latinis scholis instituerentur. Quod profecto vel dissidentibus fratribus compertum manifestumque erat, quandoquidem non pauci ex eis, domo ac patria relicta, ad haec doctrinarum domicilia libentissime se contulerunt, ut tam suavium fructuum participes et ipsi fierent.

Nec minora beneficia recentioribus temporibus Ruthenorum communitas ex sua accepit cum Apostolica Sede coniunctione. Quod quidem omnibus facile patet, si modo Galicianae Ecclesiae statum considerant, prouti ante immanis huius belli ruinas vastationesque erat. In hac nempe provincia christifideles ad XXXVI fere centena milia erant, sacerdotes ad MMCCLXXV, ac curiales aedes, seu paroeciae, ad MMCCXXVI. Ac praeterea extra Galicianam provinciam, ex eademque orti, atque in variis orbis partibus — in America praesertim — plurimi catholici nominis Rutheni commorabantur, qui ad IV vel V centena milia censeri queunt. Huic autem praestanti christifidelium numero, qui numquam forte per temporum decursum maior fuerat, praestans item in singulis Eparchiis respondebat virtutis, pietatis, christianaeque vitae studium. In eparchialibus seminariis alumni rite diligenterque instituti ad sacra praeparabantur capessenda munia; ac christifideles, divinum cultum ad sui ritus normas summo cum amore venerationeque participantes, laetos edebant uberesque religionis fructus.

Dum felicem hunc Ruthenae Ecclesiae statum strictim presseque attingendo memoramus, haud possumus silentio praeterire insignem illum Metropolitam Andream Szeptyckyj, qui per novem fere lustra indefatigabili navitate allaborans, non uno nomine, neque ad spirituale tantummodo emolumentum quod attinet, sibi credito gregi optime se probavit. Cuius per episcopalis muneris cursum Theologica Societas condita fuit,

quae clerum ad impensius sacrae doctrinae studium profectumque instimularet; Ecclesiastica fuit Academia Leopoli excitata, in qua Rutheni iuvenes, ingenio praestantiores, philosophicis, theologicis, ceterisque altioribus disciplinis — ea quidem ratione, qua studiorum Universitates hisce in rebus uti solent — opportune vacare possent; scriptiones omne genus sive per libros, sive per ephemeridas et commentarios typis editos, magnum susceperunt incrementum, et apud exteras etiam gentes floruere laude; ac praeterea sacrae fuerant artes secundum avitas huius gentis memorias eiusque peculiare ingenium excultae; museum aliaque bonarum artium domicilia praeclaris antiquitatis monumentis fuere instructa; et instituta denique non pauca inita sunt ac provecta, quibus tenuiorum civium ordinum necessitatibus ac pauperum inopiae subveniretur.

Neque singularia ea promerita silere possumus, quae Deo devotae cum virorum, tum mulierum sodalitates hac in re, haud mediocri cum salutari emolumento, consecutae sunt. Ac primum quidem Basilianorum monachorum ac sanctimonialium coenobia commemorare libet, quae, quamvis Iosephi II Austriae Imperatoris tempore, civilem potestatem in res suas non sine iniuria nec sine detrimento invadentem tolerassent, postea tamen, anno nempe MDCCCLXXXII et insequentibus, reformatione illa, quam Dobromiliensem vocant, ad suum tandem fuere restituta decus; et cum umbratilis vitae amore supernoque afflatu, qui ex S. Conditoris normis exemplisque hauritur, incensum iungunt apostolatus studium. Ad quae vetera monasticae vitae coenobia novae accessere pari cum laude religiosae virorum mulierumque sodalitates: ut Studitarum Ordo, cuius monachi caelestium rerum contemplationi imprimis vacant, ac Sanctae paenitentiae operibus; ut Religiosa Rutheni ritus Congregatio a SS.mo Redemptore, cuius sodales summo cum fructu salutari tum in Galicia, tum in Canadensi regione laborant; ut plurimae denique religiosarum mulierum instituta, quorum est puellarum institutionem provehere aegrotorumque curam suscipere, quaeque vel Ancillae a B. V. M. Immaculata, vel Myrophorae, vel Sorores a S. Iosepho, a S. Iosaphato, a Sacra Familia, a S. Vincentio a Paulo nuncupantur.

Placet praeterea hoc loco Pontificii illius Collegii mentionem facere, S. Iosaphato dicati, quod Decessor Noster fel. rec. Pius XI in Ianiculensi colle excitavit munificenterque instruxit. Postquam per saecula non pauca selecti iuvenes nonnulli in Pontificio Graecorum Collegio ad sacerdotalia suscipienda munera instituebantur, alius Decessor Noster, imm. mem. Leo XIII,

anno MDCCCLXXXXVII, proprium iis adolescentibus, qui ex Ruthenorum gente ad sacerdotium divino quodam instinctu vocarentur, Collegium Romae constituit. Sed cum succrescenti alumnorum numero hoc aedificium impar iam evasisset, proximus Decessor Noster, pro peculiari sua erga Ruthenorum populum caritate, novam ampliorem que sedem, ut diximus, aedificavit, in qua sacerdotii candidati, ad sacras doctrinas peculiaresque sui ritus disciplinas instituti ac conformati, in venerationem, observantiam, amorem erga Iesu Christi Vicarium et in Ruthenae Ecclesiae spem feliciter adolescerent.

Aliud, Venerabiles Fratres, nec minoris gravitatis emolumentum ornamentumque suscepit Ruthenorum communitas ex sua cum Apostolica Sede copulatione, cum inclita confessorum martyrumque cohorte honestata est, qui ob catholicam fidem incolumem servandam et ob studiosam suam retinendam erga Romanos Pontifices fidelitatem, omne genus laborum aerumnarumque exantlare ac vel ipsam laeti oppetere mortem non dubitarunt, secundum illam Divini Redemptoris sententiam: « Beati eritis, cum vos oderint homines et cum separaverint vos et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exsultate; ecce enim merces vestra multa est in caelo ».[13]

Quorum ex numero primus menti Nostrae occurrit sanctissimus ille Pontifex Iosaphatus Kuncevitius, cuius invictae fortitudinis laudes iam supra attigimus, quique a perditissimis catholici nominis osoribus conquisitus ad necem, sponte se carnificibus obtulit, ac se quasi victimam praebuit ut dissidentium fratrum reditus quam primum conciliaretur. Praecipuus ille quidem eo tempore fuit, sed non unus, catholicae fidei unitatisque martyr; nam eum non pauci ad eiusdem victoriae palmam secuti sunt cum ex sacro, tum ex laicorum ordine qui vel ferro necati, vel flagellis ad obitum usque atrociter contusi, vel in Danapro flumine aqua submersi, ex triumphata morte ad superos evolarunt.

Ac non multos post annos, medio nempe XVII saeculo, cum Cosaci, contra Polonorum rem publicam aperte arma cepissent, eorum, qui religiosam unitatem aversabantur, odium etiam atque etiam invaluit vehementiusque efferbuit; quandoquidem iisdem persuasum erat ex invecta eiusmodi unitate, veluti ex primo fonte, omnia quae incidissent, mala calamitatesque profecta esse; atque adeo eam omni ope omnique ratione pro-

---

[13] Luc., VI, 22, 23.

fligare ac delere sibi proposuerant. Hinc paene innumera orta sunt catholicae Ruthenorum Ecclesiae detrimenta: plures fuere sacrae aedes profanatae, expilatae, dirutae, earumque supellectiles ac fortunae eversae: sacrorum administri non pauci plurimique christifideles diris verberibus caesi, gravibus excruciati tormentis, crudelissimaque sublati nece; ac vel ipsi Antistites suis bonis despoliati ex suaque deturbati honoris sede, fugam arripere coacti sunt. Attamen iidem, hac etiam saeviente tempestate, animo non cecidere, neque sibi creditum gregem, quantum in facultate fuit, incustoditum atque indefensum reliquere; quin immo, in mediis ipsis rerum angustiis, universam Russiarum Ecclesiam una cum Alexio Imperatore ad unitatem ovilis perducere precando, contendendo, allaborandoque enisi sunt.

Paucis praeterea ante annis, quam Poloniae res publica discerperetur, nova, nec minus acerba, catholici nominis insectatio inita est. Quo tempore nempe Russorum Imperatricis milites in Poloniam invaserant, plurimae Rutheni ritus sacrae aedes catholicis vi et armis ablatae sunt; ac sacerdotes, qui suam eiurare fidem recusassent, compediti, conculcati, plagis confecti et in carcerem detrusi, fame, siti, frigore atrociter vexati sunt.

Quibus quidem haud illi in constantia animique fortitudine cessere sacrorum administri, qui circa annum MDCCCXXXIX suorum bonorum ipsiusque libertatis iacturam potius fecerunt, quam suae religionis officia desererent. Horum in numero peculiari modo sacerdotem illum memorare libet Iosephum Ančevskyj, qui per annos XXXII in coenobio Suzdaliensi dura in custodia detentus, anno MDCCCLXXVII eximiae suae virtutis praemium morte pientissima assecutus est. Itemque sacerdotes CLX, qui, cum catholicam fidem aperte profiterentur, a suis in miseria relictis familiis distracti et in interiores Russiarum regiones translati inque coenobia inclusi, fame aliisque vexationibus a proposito suo sanctissimo abigi non potuere.

Nec minore animi fortitudine praestitere non pauci e Chelmensi Eparchia, qui ex sacro, ex laicorumque ordine, catholicae fidei insectatoribus virtute invicta obstiterunt. Ita, exempli gratia, Pratolinensis vici coloni, cum milites ad sacram aedem occupandam schismaticisque tradendam accederent, non vi vim reverberarunt, sed inermibus suis confertis corporibus, vivum veluti murum aggredientibus obiecerunt; atque adeo alii vulnerati sunt dirisque saevitiis affecti, alii per annos plurimos in carcere detenti, vel in gelida Siberiae loca deportati,

alii denique telis confossi suum fudere sanguinem pro Christo. Ex quibus qui catholicam fidem sua morte obsignarunt, eorum causa in sua Eparchia iam instituta est; qua ex re spes affulget fore ut aliquando liceat eos in Beatorum Caelitum ordinem adsciscere. Haec autem iniqua facinora, proh dolor, non uno in loco, sed pluribus in urbibus, in oppidis, in pagis perpetrata fuere; ac postquam sacra omnia catholicorum templa schismatis assectatoribus permissa sunt, postquam omnes sacri ordinis administri, e suis sedibus deiecti, demandatum sibi gregem incustoditum relinquere coacti sunt, tum christifideles in dissidentis Ecclesiae album, nulla eorum voluntatis ratione habita, adscripti sunt. Qui tamen, quamvis suis orbati pastoribus, suaeque religionis muneribus et auxiliis expertes essent, suam tamen fidem mordicus retinere contenderunt; atque adeo, cum postea Societatis Iesu sodales, clam ac permutata veste, non sine gravi vitae discrimine eos idcirco adivissent, ut divina praecepta, hortamenta, solacia iisdem impertirent, summa eos cum laetitia ac pietate exceperunt.

Cum vero anno MDCCCCV fuisset cuiusvis profitendae religionis libertas aliquatenus concessa, tum in Ruthenorum regionibus mirum quoddam laetumque spectaculum cernere fuit: catholici paene innumeri ex suis latebris in solem et pulverem processere, ac conferto agmine, elato crucis vexillo, sacrisque imaginibus propalam ad venerationem propositis, cum proprii orientalis ritus sacerdotes non haberentur, ad latini ritus templa — quorum aditus antea eis erat paenis gravissimis interdictus — gratas Deo concinentes laudes se contulerunt, ibique a legitimis Ecclesiae administris efflagitarunt ut, patefactis ianuis, eos eorumque fidei professionem reciperent, itemque eorum nomina in catholicorum album relata recenserentur. Atque ita factum est, ut brevi tempore ad duo centena milia christifideles rite in Ecclesiam reciperentur.

Attamen, neque recentioribus hisce annis causa defuit, cur Episcopi, sacerdotes fidelesque greges eorum animi fortitudinem atque constantiam demonstrarent in catholica retinenda fide, tuenda Ecclesia, eiusque sacra defendenda libertate. Quorum ex numero placet heic peculiari honoris titulo recolere Metropolitam Andream Szeptyckyj, qui, primo saeviente Europae bello, cum Galicia fuisset a Russorum exercitibus occupata, e sua sede detrusus et in coenobium deportatus, ibi certo saltem tempore in custodiae loco detentus est; ibique nihil magis optabat, quam ut impensissimam suam erga Apostolicam Sedem venerationem testaretur, ac pro suo grege, cuius in salutem

iam diu suas vires suasque curas impenderat, martyrium etiam, si opus esset, divina suffultus gratia, libenter faceret.

III

Iam vidimus, Venerabiles Fratres, ex rerum gestis ad historiae fidem breviter per has Litteras relatis, quot quanta emolumenta ac bona Ruthenae genti obvenerint ex sua cum catholica Ecclesia coniunctione. Nec mirum sane: nam, si in Christo « complacuit omnem plenitudinem inhabitare », [14] hac eadem plenitudine is profecto frui nequit, qui ab Ecclesia, « quae est corpus ipsius » [15] seiunctus sit, quia, ut Decessor Noster ven. mem. Pelagius II asseverat: « quicumque in pace et unitate Ecclesiae non fuerit, Deum habere non poterit » [16] Ac vidimus etiam dilectum hunc Ruthenorum populum multas debuisse, ut suam pro viribus defenderet catholicam unitatem, rerum angustias, iacturas vexationesque tolerare, e quibus tamen providentissimus Deus, non semel restituta pace, eum feliciter liberavit.

In praesens autem, summo cum paterni animi angore cernimus novam acerrimamque huic Ecclesiae impendere procellam. Nuntii, qui ad aures Nostras perferuntur, etsi pauci, satis tamen habent cur sollicitudine Nos afficiant, anxitudine repleant. Anniversarius volvitur dies, quo, CCCL abhinc annis antiquissima haec christianorum communitas supremo Pastori suo Beatique Petri Successori laetis auspiciis coagmentata est; at hic idem dies factus est Nobis « dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis ». [17]

Magno enim cum maerore accepimus illis in regionibus, quae nuper Russiarum dicioni attributae sunt, carissimos Nobis e Ruthenorum gente fratres ac filios propter suam erga Sedem Apostolicam fidelitatem gravibus affici angustiis; neque deesse qui omni ope allaborent, ut eos ab Ecclesiae Matris gremio abstrahant, et ad dissidentium ineundam societatem invitos ac contra sanctissimi officii conscientiam adducant. Ita Rutheni ritus clerus, ut affertur, in litteris ad rei publicae moderatores datis, conquestus est quod sua Ecclesia in Ucraina occidentali, ut hodie vocatur, in difficillimis rerum condicionibus posita

---

[14] *Col.*, I, 19.
[15] *Eph.*, I, 23.
[16] Epist. ad Episcopos Istriae, *Acta Conc. Oecum.*, IV, II, 107.
[17] SOPH., I, 15.

sit, propterea quod omnes Episcopi atque ex suis sacerdotibus multi comprehensi sint, unaque simul prohibitum sit ne quis eiusdem Ruthenae Ecclesiae regimen suscipiat.

Haud sane ignoramus, Venerabiles Fratres, eiusmodi asperitates acerbitatesque politicis ex causis, specie quidem, probari. Quae tamen agendi ratio non nova est, neque hodie primum usurpata: pluries enim per saeculorum decursum Ecclesiae inimici, cum palam confiteri non essent ausi catholicam se religionem hostiliter habere eamque aperte divexare, callide vaferrimeque catholicos idcirco insimularunt, quasi contra rem publicam aliquid molirentur; eodem quippe modo, quo olim Iudaei Divinum ipsum Redemptorem coram Praeside Romano criminati sunt dicentes: « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari ».[18] Sed res ipsae atque eventus facile declarant in suaque luce ponunt quaenam fuerit ac sit harum saevitiarum causa. Quis enim ignorat Alexium Patriarcham, nuper a dissidentibus Russiarum Episcopis delectum, in litteris Ruthenae Ecclesiae datis — quae non parum ad eiusmodi insectationem ineundam contulere — defectionem ab Ecclesia catholica aperte efferre ac praedicare?

Hae autem acerbitates eo vel acrius Nos feriunt, Venerabiles Fratres, quod universae fere terrarum orbis Nationes cum per legatos suos in unum convenissent, dum immane adhuc saeviebat bellum, hoc in sollemni coetu inter alia edixere adversus religionem numquam fore insectationem suscipiendam. Quod quidem spem Nobis iniecerat pacem debitamque libertatem catholicae quoque Ecclesiae ubique concessum iri, eo vel magis quod eadem perpetuo docuit ac docet civili auctoritati, legitime constitutae, quae in suae dicionis ordine ac terminis praecipiat, semper esse ex officii conscientia obtemperandum. At eventus, proh dolor, quos supra scribendo attigimus, spem ac fiduciam hanc Nostram tam graviter, tam amare — ad Ruthenorum regiones quod attinet — infirmarunt ac paene praeciderunt.

Hisce igitur gravissimis calamitatibus cum humanae opes impares videantur, nihil aliud superest, Venerabiles Fratres, nisi ut misericordissimum Deum, qui « faciet... iudicium inopis et vindictam pauperum »,[19] enixe imploremus, ut velit ipse benignus asperrimam eiusmodi tempestatem sedare eique tandem finem imponere. Sed vos ac creditum vobis gregem etiam atque

---

18 Luc., XXIII, 2.
19 *Ps.* CXXXIX, 13.

etiam adhortamur, ut una Nobiscum, supplicibus adhibitis precibus piisque paenitentiae operibus, ab eo contendatis, cuius superna luce hominum mentes collustrantur supernoque nutu eorum flectuntur voluntates, ut parcat populo suo et ne det hereditatem suam in opprobrium,[20] utque quam primum Ruthenorum Ecclesia ex hoc detrimentoso discrimine libera emergat.

At peculiari modo hisce in afflictis trepidisque rebus paternus animus Noster ad eos convertitur, qui iisdem tam acriter, tam acerbe premuntur. Ad vos imprimis, Venerabiles Fratres, Ruthenae gentis Episcopi, qui, quamvis magnis asperitatibus excruciati sitis, magis tamen ob vestrorum gregum salutem, quam ob iniurias ac mala vobis illata, gravati ac solliciti estis, secundum illud: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ».[21] Etsi praesentia obscura sunt, ac futura incerta et anxitudinum plena, ne tamen deficiatis animo, sed « spectaculum facti... mundo et angelis et hominibus »[22] — ita eniteatis, ut patientiam virtutemque vestram christifideles omnes in exemplum intueantur. Hostilem eiusmodi insectationem fortiter constanterque ferentes ac divina in Ecclesiam caritate flagrantes, facti estis « Christi bonus odor... Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt ».[23] Quodsi, cum in vinculis sitis a vestrisque filiis seiuncti, sanctae religionis praecepta iisdem impertiendi facultas vobis non datur, ipsa tamen vincula vestra plenius altiusque Christum nuntiant ac praedicant.

Vos dein paterne alloquimur, dilecti filii, qui sacerdotio insigniti, Christi, « qui passus est pro nobis »[24] propius vestigia sequi, atque adeo prae ceteris certaminis impetum ferre ac sustinere debetis. Dum calamitates vestrae tam vehementer Nos afficiunt, laetamur tamen quod Nobis licet, Divini Redemptoris verba mutuantibus, ita plerosque ex vobis affari: « Novi opera tua et fidem et caritatem tuam et ministerium et patientiam et opera tua novissima plura prioribus »[25]. Pergite, hortamur, luctuosis hisce temporibus firmi constantesque perstare in fide vestra; pergite sustinere debiles, vacillantesque fulcire. Monete, quatenus opus est, commissos vobis christifideles haudquaquam licere, ne extrinsecus quidem vel ore tenus, Christum suamque

---

20 Cf. IOEL., II, 17.
21 Io., X, 11.
22 *I Cor.*, IV, 9.
23 *I Petr.* II, 21.
24 Cf. *I Cor.* IV, 1.
25 *Apoc.*, II, 19.

Ecclesiam negare vel deserere; ac callidas eorum artes detegite, qui hominibus terrena commoda auctioremque in praesenti vita felicitatem pollicentur, dum eorum animos perdunt. Exhibete vosmet ipsos « sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis... in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris ».[26]

Vos denique alloquimur Ruthenae Ecclesiae catholicos universos, quorum dolores rerumque angustias paterno participamus animo. Haud ignoramus gravissimas fidei vestrae parari insidias. Quin immo timendum esse videtur, ne forte proximis temporibus aerumnae vel maiores iis superveniant, qui sacrosanctum religionis officium prodere non consentiant. Quapropter iam nunc, dilectissimi filii, vos enixe in Domino adhortamur, ut nullis comminationibus nullisque detrimentis perterriti, ac ne exsilii quidem periculo ipsiusque vitae discrimine permoti, fidem vestram vestramque erga Ecclesiam Matrem fidelitatem eiuretis numquam. Etenim, ut probe nostis, de thesauro agitur in agro abscondito, quem qui invenerit homo, « abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum ».[27] Ac recordemini quid Divinus ipse Redemptor in Evangelio dixerit: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam ».[28] Cui quidem divinae sententiae illud adicere placet Apostoli gentium: « Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest ».[29]

Paternam hanc adhortationem Nostram, dilecti filii, nullo Nos aptiore modo confirmare ac concludere posse putamus, nisi hisce eiusdem Apostoli gentium admonitionibus: « Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini ».[30] « Obedite praepositis vestris »[31] Episcopis et sacerdotibus cum ad salutem vestram ac

---

[26] *II Cor.*, VI, 4 ss.
[27] MATTH., XIII, 44.
[28] MATTH., X, 37 ss.
[29] *II Tim.*, II, 11 ss.
[30] *I Cor.*, XVI, 13.
[31] *Hebr.*, XIII, 17.

secundum Ecclesiae praescripta vobis praecipiunt; iis omnibus, qui fidei vestrae quovis modo insidiantur, strenui resistite, « sollicitati servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae ».[32] Atque in mediis maeroribus angoribusque omne genus, mementote « quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis »[33] « Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo ».[34]

Futurum autem omnino confisi, ut hortationibus hisce Nostris, divina adspirante iuvanteque gratia, fortes volentesque respondeatis, meliora vobis ac tranquilliora tempora a misericordiarum Patre Deoque totius consolationis[35] ominamur, supplicesque precamur.

Caelestium interea munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae testem, cum vobis singulis, Venerabiles Fratres, vestrisque gregibus, tum peculiarissimo modo Ruthenae Ecclesiae Episcopis, sacerdotibus universisque christifidelibus, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

Annotationes

Quamvis vigilantia in res Orientis pro « omnium Ecclesiarum sollicitudine » Romanis Pontificibus curae semper fuerit, dubium tamen non est quin his ultimis annis novus impulsus magno cum vigore impressus sit operi de fovenda unione christianorum dissidentium cum Ecclesia Catholica.

Nam, ut quaedam tantum praecipua memoremus, iam Pius IX, ad res Orientalium expeditius et competentius tractandas, S. Congregationem de Propaganda Fide duplicavit novam ei partem, practice novam Congregationem, adiun-

---

[32] *Ephes.*, IV, 3-4.
[33] *Rom.*, VIII, 18.
[34] *II Thess.*, III, 3.
[35] Cf. *II Cor.*, I, 3.

gendo quam S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis vocavit.

Sed maximus Protector idemque initiator fuit Leo XIII. Qui quidem a sui pontificatus initio in unione fovenda animum intendit, sed hunc propositum non statim executioni dare potuit. Verumtamen, aliquot post annos, cum celebrata sollemnitate Congressus Eucharistici Hierosolymitani anno 1893, E.mus Cardinalis Langenieux de rebus orientalibus relationem confecerat S. Pontifex, occasionem nactus, Orientales Patriarchas catholicos Romam vocavit atque ab ipsis de statu orientalium ecclesiarum edoctus, difficultates, desideria, necessitates exquisivit. Specialem commissionem cardinalitiam instituit cuius sessionibus omnibus Ipse semper praefuit. Huius summi interventus fructus, quo etiam praeclarum monumentum pontificii in Orientales favoris reliquit fuit Constitutio « Orientalium dignitas » quae Charta quaedam iurium et libertatum rituum orientalium dici potest, in qua Se Summum Protectorem et Defensorem orientalium ecclesiarum praebuit. Interea omne quod momentum habere poterat pro Orientalibus in his sessionibus examinatum est, vocatis, ubi res ferebat, Romam personis quae competentia eminebant.

Nec ad hoc eius activitas pro Oriente constitit, nam, quo solertius in futurum provideret ut res orientales semper prospere procederent, traditioni Antecessorum innixus, Romae varia Collegia pro Orientalibus vel creavit vel renovavit. Sic Pontificium Collegium armenorum et ruthenorum ipse erexit, dum in Pontificio Collegio graecorum ritum orientalem ad genuinam praxim reducere conatus est atque maronitarum collegium renovavit. Plura alia meditatus est circa curam animarum, studia, disciplinam, liturgiam orientalium ad quae vires iam defecerunt.

Dein Benedictus XV, manifestatis desiderio et convenientia Dicasterii cuiusdam proprii pro orientalibus, cum S. Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis Rituum orientalium tamquam appendix quaedam S. Congregationis

de Prop. Fide haberi posset atque ex hoc opprobrium aliquod generari videretur pro orientalibus quod simul ac infideles eadem Congregatio, quamvis parte omnino distincta, eorum res tractaret, motu proprio « Dei Providentia » novam S. Congregationem pro Ecclesia Orientali erexit, cui ipse S. Pontifex praeesse voluit.

Sed et aliud maximum suae in orientales gratiae perpetuum monumentum reliquit nempe Pontificium Institutum Orientalium Studiorum, quod a Leone XIII iam meditatum, Ipse ad effectum adduxit.

Inter litteras Encyclicas memorandae illae sunt quibus S. Ephrem Syrum Doctorem Universalis Ecclesiae renuntiavit.

Tandem idem Pontifex Collegium aethiopicum in hortis vaticanis constituit et Collegium maronitarum in Urbe restituit.

Nemini tamen ex suis Praedecessoribus Pius XI in hac re secundus fuit. Qui nullam occasionem praetermisit ut zeli et benevolentiae in christianos orientales verbis, litteris et factis innumerabilia testimonia praeberet.

Iam post unum annum ab electione, occurrente die III centenarii gloriosae mortis martyris Iosaphat Kuntsevitch, archiepiscopi polocensis, in litteris encyclicis « Ecclesia Dei » aequalitatem variarum liturgiarum in Ecclesia et in varietate pulchritudinem exaltavit. Per alias Litteras « Mortalium animos » (6-1-28) de vera religionis unitate fovenda scripsit atque eodem anno (8-IX) per encyclicam « Rerum orientalium » episcopos et superiores religiosos incitavit ut in seminariis et in aliis collegiis rerum orientalium studium foverent.

Inter Litteras praeterea commemorandae sunt illae quas occasione anniversarii conciliorum oecumenicorum Niceae (1925) et Ephesi (1931) edidit et illae quibus variis eventibus religiosis orientalium participare voluit ut congressibus labacensi, pragensi, velehradensi.

Sed opere praesertim eminuit magnus ille Pontifex

etiam in rebus orientalium. Nemo enim non meminit pontificiam commissionem auxilium afferentem famem patientibus in Russia. Sed bonum potius spirituale prae corde habens, malankerenses hierarchia catholica (1923) et italo-graecos eparchia independenti ac Abbatia Nullius Cryptoferratensi (1937) donavit; ut operariis opus unionis foveret, in variis Ordinibus et Congregationibus ramum orientalem instituit, collegia variorum rituum vel erexit ut Pontificium Collegium Russicum (1929) et Pont. Collegium Pium Rumenum (1935) vel regali munificentia renovavit ut Pont. Collegium Aethiopicum (1930) et Collegium Ruthenorum (1931).

Tandem per binam commissionem opus permagnum Codicis iuris orientalium praeparandi aggressus est et providit ut libri liturgici orientales a S. Sede ederentur in quibus omnia quae ad genuinam rituum observationem pertinent accurate conservarentur vel etiam restituerentur. Neque orientalium oblitus est in expositione missionaria Vaticana volens ut per eam varii ritus magis innotescerent.

Pius vero XII feliciter regnans non semel iam testimonium perhibuit de sua cura in orientales. Inter scripta eius memoranda sunt epistola occasione 1450 anniversarii baptismatis S. Vladimiri et Litterae encyclicae recurrente XIV centenarii die Concilii Chalcedonensis « Orientalis Ecclesiae decus » in honorem S. Cyrilli Alexandrini (1944).

Primum Collegium quod ortum habet a regnante S. Pontifice destinatum est sacerdotibus orientalibus qui studia in Urbe perficere cupiunt, nempe Collegium S. Ioannis Damasceni (4-XI-1940).

Tandem oblivioni dari nequit quod recenter in altissimum Purpuratorum Patrum Senatum alter orientalis Patriarcha adscitus est. Quinimmo et sollemne sacrum in anniversaria coronationis suae die, S. Pontifex ritus armeni splendore celebratum voluit.

Cum itaque nullus eventus alicuius momenti pro Ecclesia Orientali celebratus sit quin Romanus Pontifex bene-

volus et studiosus intervenerit, fieri non poterat ut laetam nostram commemorationem silentio praeteriret.

* * *

Sed prius pauca verba faciamus de ruthenis quibus praesertim hae Litterae Encyclicae missae sunt.

Inter omnes Ecclesias orientales longe maior est Ecclesia ruthenorum. Vox « ruthenus » quae in documentis Medii aevi invenitur, transcriptio latina est vocis popularis « Russini »; hodie vero fere unice sensum ecclesiasticum habet cum politice maior pars fidelium huius ritus « Ucraini » vocari volunt.

Qui omnes tempore Unionis Berestensis unam regionem vastissimam incolebant, sed decursu temporis in varias regiones Europae et Americae abierunt, ibique colonias, interdum satis numerosas, fundarunt.

Hodie vero sic fere dividuntur:

Maximus quidem numerus (plus quam 3.500.000) antebellicam Poloniam incolunt praesertim in Galizia, ubi hierarchia cum Metropolita et duobus suffraganeis constituta est.

Alius coetus (plus minusve 560.000) in sic dicta « Russia (seu Ucraina, seu Ruthenia) subcarpatica » habitat, quae est regio ad meridiem montium carpaticorum sita, et politice olim ab Hungaria vel a Checoslovachia dependebat, nunc vero, ex vicissitudinibus bellicis, dicioni russicae subicitur.

Alii in Rumenia sedem fixerunt (plus quam 60.000) prius in dioecesi Maramures, ubi vicariatum episcopalem constituerunt; postea vero a vicario generali, ad normam c. 9 Conc. Later. IV, dioecesis Magnae-Varadinae regebantur, sed hodie etiam hi quoad dimidiam partem paroeciarum dicioni Russiae subiecti sunt.

Habentur tandem rutheni in Yugoslavia ubi maior pars fidelium ritus orientalis sive ex Galizia sive ex Russia Sub-

carpatica oriunda est. Qui omnes simul sumpti numerantur plus quam 40.000.

Praeterea multi ucraini in Americam sive septentrionalem sive meridionalem emigrarunt ibique floridas colonias constituerunt. His colonis paulatim ad curam spiritualem sacerdotes sese adiunxerunt, quorum missio mox a S. Sede ordinata est. Maximae autem difficultates ex hoc provenerunt quod ex variis partibus, ex Russia sc. subcarpatica (300.000) et ex Galizia (250.000) oriundi, usibus et consuetudinibus satis diversis regebantur, atque aegre ferebant omnes unico tantum Vicario cum iurisdictione satis arcta regi, dum dissidentes sub Archiepiscopo et 4 suffraganeis cum plena iurisdictione independentem hierarchiam constituebant. Quare S. Sedes pro utroque ramo catholico primum distinctum administratorem apostolicum nominavit et dein duas dioeceses erexit.

Ad finem eiusdem saeculi (XIX) coloni etiam in Canadam transmigrarunt, sed hi omnes, saltem qui postea venerunt, ex Galizia originem trahunt. Habentur plus minusve 300.000.

Tandem, alii, item ex Galizia (70.000) in Americam meridionalem, in Argentinam nempe et Brasiliam, transmigrarunt.

* * *

Litterae encyclicae « Orientales omnes » quinquagesimum ac tercentesimum anniversarii diem commemorant quo Unio berestensis die 23-XII-1596 in aedibus Vaticanis subsignata est; unio sc. qua primum dissidentium notabilis pars stabiliter Ecclesiam Catholicam solemniter ingressa est. Nemo non videt hoc factum momentum suum habere pro toto Oriente christiano.

Itaque in initio suarum litterarum Summus Pontifex omittere non potest Romanorum Pontificum ad dissidentes conatus et invitationes ut in unum ovile omnes sese recipiant, repetita promissione de servandis ritibus et usibus legitimis, dum dolet quod felix hic unionis dies non-

dum advenerit. Interea memoria celebretur peractae iam, Deo favente, unionis Ecclesiae ruthenae.

Tribus partibus constat documentum pontificium, quorum prima historiam Unionis, secunda emolumenta ex Unione percepta, tertia statum hodiernum describit.

1. - Post breves repetitasque periodos brevis cuiusdam unionis, Ecclesia ruthenorum, in medio gravium malorum quibus opprimebatur, renovationem et reformationem nonnisi ab Ecclesia Romana obtinere se posse sensit. Obtenta tandem Unio iam mox per sanguinem martyris sigillata est quod fuit initium dolorum. Nam osores Unionis in dies magis valebant in regno Poloniae nec eis reges, propter motiva politica, obstare audebant. Inde bona Unitorum magna ex parte dissidentium ecclesiis assignata sunt (1632), ac ipsam coniunctionem ruthenorum cum Ecclesia Romana per pacta inter cosacos et regem Poloniae delendam esse decretum est. Hac tamen vice stetit Unio cum fideles, a Summo Pontifice exhortati et a propriis episcopis strenue adiuti, indefessi fidem servaverint.

Transiit tandem prima persecutionis periodus cum pace Androniv (1667) atque statim floride sese evolvit vita religiosa. Nam unio ad duas alias eparchias se extendit ad Peremyslensem nempe (1696) et ad Leopolensem (1700) atque concilium convocatum est Zamosci (1720) ubi renovatio vitae religiosae et disciplinae ecclesiasticae seria incepit.

Sed proh dolor! ad finem s. XVIII incepit secunda persecutionis periodus pro illa parte ruthenorum quae russicae dicioni subdita est. Nova conamina facta sunt ad opus Unionis destruendum: relationes cum S. Sede fere impossibiles redditae, episcopi intrusi ecclesiis praefecti qui prae corde habebant ut ecclesiam unitam imperio civili in omnibus subicerent per coniunctionem cum ecclesia dominante seu dissidentium. Ad hunc scopum obtinendum omnia media adhibita sunt: doctrinae perversae in Seminariis propagatae, suppressae domus religiosorum, confiscata bona

ecclesiastica, exsilium, carceres, verbera adeo ut post aliquot decennia unionem in partibus Russiae subditis amplius subsistere a gubernii ministris simpliciter negatum fuerit. Omnes fideles spontanee et libenter ad illam orthodoxiam, a qua tempore Unionis vi et fraude avulsi fuissent, libentissime rediisse dicebantur.

Dolorosa haec historia palam coram universo mundo denunciata est per documenta publici iuris facta a Gregorio XVI post allocutionem consistorialem (1842) et a Pio IX in « Esposizione documentata » (1866).

Sed modo omnino alio in eparchiis, quae per varias divisiones politicas Poloniae Imperio austriaco adiectae fuerant, res agebantur. Nam adeo floruerunt ut inter metropolitas duo Patrum Cardinalium Collegio adnumerati sint nempe E.mus D. Michael Levycky et Sylvester Sembratović; ut necesse fuerit novam eparchiam creare Stanislaviv et ut ad finem saeculi Leopoli concilium celebratum sit. Postea duae aliae eparchiae erectae sunt a Pio X pro colonis ruthenis qui, ut dictum est, in Americam septentrionalem emigrarunt.

Cum tercentesimus felicis huius Unionis annus celebraretur, delegatio episcopalis Romam petiit quae gratum animum Leoni XIII ostenderet ac de amore, veneratione et oboedientia ecclesiae ruthenae erga ecclesiam catholicam testificaretur.

2. - Si vero nunc prae oculis ponantur bona quae ruthenis ex unione obvenerunt, varia motiva habentur ob quae gratias referre debent. Et primum quidem quoad ritum. Summopere Ecclesia catholica vult ut varii ritus in splendore et puritate conserventur: quare condicionem illam quam Episcopi rutheni in facienda unione proposuerunt, ut nempe ritus immutati servarentur, libenter a Clemente VIII admissa est, quin immo et postea S. Sedes per varias prohibitiones intervenire debuit ne ipsi fideles indebite suos ritus mutarent. Hic commemoranda est supra citata pontificia commissio, quae, secundum ipsorum epis-

coporum ruthenorum vota, liturgicos ritus ad avitas venerandasque earum memorias restitueret.

Dein SS. Pontifices quantum potuerunt, etiam disciplinam ruthenis propriam intactam servaverunt — sic neque calendarium proprium impositum est neque privilegium sublatum quo episcopi suffraganei a Metropolita confirmarentur — scholas ruthenorum protexerunt, favores spirituales concesserunt, honores episcopis ruthenis in omnibus aequales episcopis aliorum rituum vindicaverunt. Sed hoc summum momentum habet quod, a quo Unio catholica facta est, vita spiritualis et religiosa paulatim ad novum fervorem pervenit; ordo Basilianorum refloruit, novae Congregationes, ut Studitarum et religiosarum, ortae sunt, scientiae sacrae, litterae, artes, impulsu praesertim Metropolitae Szepticzki floruerunt; Romae collegium S. Iosaphat incrementum accepit. Tandem fidei martyres et confessores omnium pulcherrimam coronam populo rutheno constituunt.

3. - Sed hodie tristissima iterum periodus instat, a quo Ecclesia ucraina subiecta est dominio sovietico. Iterum nunc persecutiones patitur propter suam ad Sedem Apostolicam fidelitatem. Pauca tantum memorat S. Pontifex sed plura addi possunt cum folia periodica in dies dolorosiora nuntia afferant.

Etenim anno 1943, quando exercitus russicus ad Galiziam accedit, nuntius radiophonicus futuram libertatem religionis « aviae » exaltavit qua absque dubio religio sic dicta orthodoxa designata erat. Et de facto, rerum potiti, statim omnem propagandam religiosam catholicam interdicere conati sunt ac religio e scholis sublata est; postea vero positionem aliquando exspectantem assumpsit auctoritas sovietica, sed cum a parte catholicorum submissionem illam, quae satis consonans est traditioni hierarchiae dissidentium, obtinere non potuit, res omnino mutatae sunt. Nam novam positionem politicam Ucrainae, independentiam ut eam vocare placet, alias relationes hierarchicas religiosas requirere dixerunt — apud « orthodoxos » enim ecclesia

iisdem ac Status limitibus circumscribitur nec alia auctoritas stabilis et perpetua agnoscitur extra ecclesiam nationalem — atque ipse patriarcha Moscoviae, Alexius, bellum indixit.

Itaque mox aperte persecutio incepit: episcopi in custodia inclusi sub praetextu quod se in quaestiones politicas immiscuissent — accusatio quae ut dicit S. Pontifex, Ipsi Christo coram procuratore romano facta est — immo, secundum aliquos fontes iam obiissent; professores, sacerdotes in carcerem detrusi — ex sola dioecesi leopolensi fere quingenti — ex quibus magna pars, ut videtur, iam occisa esset. Tandem separatio ab Ecclesia catholica modo officiali proclamata est a sic dictis capitibus ecclesiae ucrainae, et per eam Unio berestensis dissoluta esset. De facto pauci admodum ex sacerdotibus, ut expectandum erat, ad dissidentium castra transfugerunt.

Novae huius periodi calamitatum et persecutionum finis nondum praevidetur. Quare unica spes manet Divina Providentia. « Futurum autem omnino confisi, concludit S. Pontifex, ut hortationibus hisce nostris, divina adspirante invitanteque gratia, fortes volentesque respondeatis, meliora votis et tranquilliora tempora a misericordiarum Patre Deoque totius consolationis (cfr. II. Cor. 1. 3) ominamus supplicesque precamur ».

A. WUYTS, S. I.

5 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS* XXXVIII [23 ian. 1946] p. 5).

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE INDIGENTIUM PUERORUM CURA ALACRIUS HODIE SUSCIPIENDA.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quemadmodum, cum internecivum saeviebat bellum, quidquid suadendo obtestandoque potuimus non praetermisimus, ut diuturna nimis conflagratio quam primum restingueretur, omniaque iure, aequitate rectoque ordine componerentur, ita in praesens, positis armis, sed nondum restituta pace, pro apostolico quo fungimur munere, nihil intentatum relinquimus, ut tot doloribus opportuna lenimenta praebeamus, ac miseriarum cumulum, quo non paucae gentes opprimuntur, quovis modo detur, allevemus. At in tantis paeneque innumeris acerbitatibus, quas dira dimicatio peperit, nulla magis paternum laedit ac vulnerat animum Nostrum, quam ea, quae insontium puerorum multitudinem afficit, qui quidem ad decies centena milia, ut affertur, necessariis ad vitam rebus destituti, multis in nationibus frigore, fame morbisque tabescunt; ac saepenumero ab omnibus derelicti non modo pane, vestibus, tectoque carent, sed illo etiam amore, quo tenera aetatula tantopere indiget.

Iam Nos, ut nostis, Venerabiles Fratres, quidquid hac etiam in re potuimus, facere non praetermisimus; ac gratissimum iis testamur animum Nostrum, quorum ex largitate Nobis datum est infantiae ac pueritiae egestati pro viribus mederi. Neque ignoramus haud paucos, sive singillatim, sive in coetus societatesque coalescentes, opportunum eiusmodi suscepisse propositum et ad rem deducere omni nisu contendere. Quibus quidem, bonorum omnium ut sunt praeconio digni, debitas tribuimus laudes, eorumque operibus, inceptis, institutis bene omnia a Deo ominamur atque precamur.

Attamen, cum id genus adiumenta ac curae longe absint ut malorum immensitati paria sint, officio Nostro consentaneum ducimus vos appellare paterneque adhortari, ut peculiari modo gravissimam egentium puerorum causam cordi habeatis, ac nihil faciatis reliqui, quod ad eorum condicionem mitigandam relevandamque conferat.

Mandamus igitur ut in Dioecesi cuiusque vestra diem praestituatis, quo publicis ad propitiandum Deum indictis supplicationibus, per sacrorum quoque administros qui adiutricem vobis navant operam, de instanti hac necessitate populum moneatis, eumdemque adhortemini ut qua precibus, qua piis operibus, qua etiam collata stipe, incepta omnia provehat, quorum sit indigentem derelictamque pueritiam omni ope omnique cura iuvare. Res agitur, ut facile animadvertitur, quae si ad cunctos pertinet cuiusvis opinionis cives, dummodo humanitatis pietatisque sensibus polleant, ad christianos tamen peculiari ratione attinet, qui in fraterculis hisce inopibus ac destitutis expressam Divini Infantis imaginem cernere debent, quique illud recordari officio tenentur: « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis »[1]. Ac considerent omnes probeque secum reputent hos fore puerulos futurae aetatis fulcimina, atque adeo opus esse omnino ut integri animo corporeque succrescant, ne progenies aliquando habeatur, quae infirmitatis germina referat vitiorumque labes. Nemo igitur gravetur in re tam opportuna ac necessaria suam operam, suas vires suamque pecuniam ponere. Qui tenuioris fortunae sunt, quidquid possunt, quidquid valent, id libenti pervolentique animo praestent; qui vero laute opipareque vivunt, ii perpendant ac reminiscantur puerorum indigentiam, inediam, nuditatem apud misericordiarum Patrem severissime eos vehementerque incusare, si plumbeo sint animo, neque suppetias generose occurrant. Omnes denique sibi suadeant non iacturae, sed lucro suam sibi esse liberalitatem futuram, quandoquidem iure asseverari potest eum, qui aliquid vel de sua fortuna, vel de sua opera egentibus tribuat, quodammodo fenerari Deo, qui amplissima mercede sua aliquando erit largitorem remuneraturus. Spe igitur tenemur bona fore ut, quemadmodum prisca Apostolorum aetate, cum christiana Hierosolymae communitas insectatione atque inopia vexaretur, a ceteris christifidelibus pro eadem ubique gentium Deo admo-

---

[1] MATTH. XXV, 40.

vebantur preces, ab iisdemque adiumenta mittebantur [2], in praesens quoque eodem amore compulsi atque animati omnes infantium puerorumque necessitatibus pro viribus succurrant. Idque faciant, ut diximus, imprimis flagrantibus adhibitis ad misericordissimum Redemptorem nostrum supplicationibus; quandoquidem ex piis precibus, ut nostis, arcana vis elicitur, quae caelum penetrat, atque a sempiternis sedibus superna lumina divinasque impulsiones impetrat, quae mentes collustrent hominum, eorumque voluntates ad bonum inflectant, et ad caritatem suadeant ac moveant.

Heic autem animadvertere operae pretium est nullo non tempore Ecclesiam de tenella aetate curam diligentissimam habuisse, eamdemque iure meritoque reputasse veluti partem peculiarissimo modo muneri suo suaeque caritati concreditam. Idque dum egit continenterque facit, procul dubio Divini Conditoris sui vestigiis insistit monitionibusque respondet; qui quidem puerulos suaviter ad se alliciens, Apostolis eorum matres increpantibus aiebat: «Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei» [3]. Christus siquidem — ut optime diserteque Decessor Noster imm. mem. Leo Magnus asseverat — « amat ... infantiam, quam primum et animo suscepit et corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiae regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, ad quam maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit aetates; et eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat aeternum » [4].

Videtis ex hisce verbis sententiarumque luminibus, Venerabiles Fratres, quali amore qualique diligentia ac cura Ecclesia debeat, exemplo ducta Conditoris sui, infantes ac puerulos prosequi. Ea nempe, dum quidquid potest non praetermittit, ut eorum corpora neque cibo, neque tecto, neque vestibus careant, eorum tamen animulas non ignorat vel neglegit, quae, ex divino quasi halitu partae, veluti radium videntur caelestium pulchritudinum referre. Primum igitur eo contendit ac spectat, ut eorum innocentia ne polluatur, utque sempiternae eorum saluti prospiciat ac consulat. Quamobrem paene innumera sunt eius instituta atque incepta, quorum est puerilem aetatem recte educere, ad morum integritatem conformare, atque ad eam vitae condicionem pro facultate provehere, quae increscentibus animi

---

[2] Cf. *I Cor.* XVI, 1.
[3] Marc. X, 14.
[4] *Serm. XXXVII*, c. 3; *ML* 54, 258 C.

corporisque necessitatibus respondeat. Hac in utilissima palaestra, ut nostis, haud paucae religiosorum hominum ac mulierum sodalitates mirabili cum navitate utilitateque certant, quarum actio sapiens, vigilans, impensa ad Ecclesiae civilisque societatis profectum summopere conducit. Ac non modo in excultis ad humanitatem gentibus nationibusque id uberi salutarique cum fructu efficitur, sed apud agrestes etiam populos, vel plane nondum christiana collustratos luce, ubi evangelicae veritatis satores — ac peculiari modo Pontificium Institutum illud, quod a Sacra Infantia nuncupatur — puerulos infantesque tam multos a daemonis pravorumque hominum servitute in libertatem filiorum Dei vindicant, et ad humanioris vitae cultum traducunt.

Verumtamen hoc in formidoloso historiae flexu, dum nimis multae rerum animorumque ruinae coacervantur in immensum, haec providentiae caritatisque incepta, quae forte communibus hoc in genere necessitatibus paria videbantur, imparia procul dubio evadunt. Etenim oculis paene obversantur Nostris, Venerabiles Fratres, ingentes puellorum multitudines, qui fame languentes ac fere enecti panem tenellis manibus petunt, « et non est qui frangat eis » [5]; qui domo, qui vestibus destituti hiberno frigore tremebundi intermoriuntur, nec matres habent patresve suos, qui eos operiant ac calefaciant; qui denique infirmi ac vel phthisi tabeque confecti, consentaneis carent medicamentis opportunisque curis. Itemque innumeros maerenti Nos animo quasi cernere Nobis videmur vel per clamosas errare urbium vias ad otium, ad corruptelas adactos, vel per oppida, per vicos, per agros circumire incertos ac vagos; quibus nemo, proh dolor, tutum adversus egestatem, adversus vitia ac crimina praebet perfugium. Cur igitur Nos, qui hos filiolos Nostros tam vehementer adamamus « in visceribus Iesu Christi » [6] cur Nos, Venerabiles Fratres, vos singulos universos, unaque vobiscum omnes, quicumque humanitatis, misericordiae pietatisque sensibus ducuntur, etiam atque etiam non inclamemus, ut quidquid potest, quidquid valet christiana caritas — valet autem plurimum — in id volentibus generosisque animis conferatis, ut miserrima nempe eorum sors ubique gentium mitigetur ac relevetur? Nihil intentatum relinquatur, quod nostra aetas hoc in genere suggessit ac suasit; ac novae etiam excogitentur rationes, quibus, bonis enitentibus omnibus, praesen-

---

5 Cf. *Thre.* IV, 4.
6 *Philip.* I, 8.

tibus malis, et futuris, quae reformidantur, detrimentis opportuna remedia praebeantur. Atque ita quam primum, fiat, adspirante suffraganteque Deo, ut vitiorum illecebris, quae tot pueros derelictos facile transversos agunt, virtutum invitamenta succedant, ut eorum inane otium ac tetricam desidiam honestus atque hilaris sequatur labor, ut eorum denique fames, inedia, nuditas a divina Iesu Christi caritate habeant — quam in eius sectatoribus reviviscere, effervescere augerique quam maxime hoc tempore oportet — ut necessariis adiumentis ne careant. Quae quidem omnia non modo ad catholicae religionis christianaeque virtutis incrementum, sed ad humanae etiam consortionis civilisque societatis bonum summopere conferent; quandoquidem, ut omnes norunt, in carceres in publicaeque custodiae loca non tam frequens pro certo constiparetur reorum scelestorumque turba, si opes rationesque ad crimina praecavenda aptiores in iuvenili praesertim aetate largius opportuniusque adhiberentur; ac si sana, integra, operosa ubique pueritia adolesceret, facilius cives haberentur, qui probitate, fortitudine, ceterisque animi et corporis dotibus eniterent.

Haec habebamus, Venerabiles Fratres, quae vobis hac gravissima de causa per Encyclicas has Litteras scriberemus, vobis item mandantes, ut, quae paterne monuimus atque adhortati sumus, ea cum gregibus vestris aptiore, quo videbitur, modo communicetis; ac futurum confidimus ut votis hisce hortamentisque Nostris omnes libentibus animis studiosaque largitate et opera respondeant.

Qua quidem spe freti, caelestium auspicem gratiarum, peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis, Venerabiles Fratres, gregibusque curae vestrae concreditis, tum iis nominatim, qui bene quovis modo ac ratione hac de re promeriti, vel promerituri sunt, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Attentis difficilibus rerum adiunctis quae recens bellum sequuta sunt, SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII benigne prorogare dignatus est, in iisdem terminis et donec aliter provideatur, Apostolicum Indultum diei 19 Decembris 1941 circa legem abstinentiae et

ieiunii ecclesiastici (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXIII, pag. 516).

Quapropter omnes locorum Ordinarii, cuiuslibet ritus, concedere poterunt, secundum prudens ipsorum iudicium, in territorio propriae iurisdictionis, generalem dispensationem super lege abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, in favorem quoque Religiosorum et Religiosarum etiam exemptionis privilegio fruentium.

Firma tamen manet lex abstinentiae et ieiunii ecclesiastici, pro fidelibus ritus latini, Feria IV Cinerum et Feria VI in Parasceve; pro fidelibus vero alius ritus, duobus diebus ab eorum Ordinariis statuendis.

Locorum autem Ordinarii, qui supra memoratam dispensationem concessuri sunt, hortari curabunt fideles, praesertim Clerum saecularem, Religiosos ac Religiosas, ut hanc apostolicam concessionem compensare studeant voluntariis exercitiis christianae perfectionis et expiationis atque bonis operibus, praecipue caritatis erga inopes et aegrotos, neve omittant pias Deo ad mentem eiusdem Pontificis preces offerre.

Romae, die 22 Ianuarii an. 1946.

L. ✠ S.

† F. Card. Marmaggi, *Praefectus*.
I. Bruno, *Secretarius*

10 - S. Congreg. de Sem. et Stud. Universitatibus

(*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 272)

DUBIUM

DE LAUREA CONGRUENTI AD DOCENDUM IN FACULTATE THEOLOGICA

Proposito dubio: An ad quamcumque disciplinam in Facultate Theologica tradendam *laurea congruenti praeditus*, ex praescripto art. 21 Constitutionis Apostolicae *Deus*

scientiarum Dominus, praeter doctorem in Sacra Theologia, ille haberi possit qui lauream adeptus sit — apud Facultatem studiorum ecclesiasticorum — vel in Re Biblica, vel in Iure Canonico, vel in Studiis Orientalibus, vel in Historia Ecclesiastica, vel in Missiologia, vel in Archaeologia christiana, vel in Philosophia; haec Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus

RESPONDENDUM CENSUIT: *Affirmative*, modo candidatus ornatus sit etiam Licentia in Sacra Theologia, vel Licentia in ea disciplina quam tradere debet.

Ex Aedibus S. Callisti, 28 m. Augusti, in Festo S. Augustini Doctoris, 1945.

I. Card. PIZZARDO, *Praefectus*.

L. ✠ S. E. RUFFINI, *Secretarius*.

Annotationes.

In art. 21 Const. Ap. « Deus scientiarum Dominus » ubi recensentur condiciones necessariae ut quis nominetur professor in aliqua facultate, dicitur 2°: « Laurea congruenti praeditus sit ». Patet hac formula intelligi imprimis lauream illius Facultatis in qua quis docere debet, ut ex ipso dubio proposito patet; sic v. g. doctor in theologia quamcumque disciplinam in facultate theologica docere potest. At quaeritur quasnam alias laureas illa formula « *laurea congruens* » complectatur: de hac re dubium propositum est et responsum datum pro facultate theologica, quod analogice aliis facultatibus applicari potest.

Duo statuuntur in responso:

1) Qui est *licentiatus* in S. Theologia et *doctor* vel in Re Biblica vel in Iure canonico, vel in Studiis orientalibus, vel in Historia ecclesiastica, vel in Missiologia, vel in Archaeologia christiana, vel in Philosophia, potest docere quancumque disciplinam in facultate theologica.

2) Qui est *doctor* in Iure Canonico etc., etiamsi careat

licentia in S. Theologia, potest docere in facultate theologica illam disciplinam in qua licentiatus est; sic v. g. licentiatus in Iure canonico et aliqua ex laureis recensitis praeditus, potest docere Institutiones iuris canonici in facultate theologica.

Huius responsi ratio satis apparet ei qui litteram et spiritum attente consideret ipsius Const. Ap. « Deus scientiarum Dominus » circa ordinationem studiorum curriculi ad licentiam et curriculi ad lauream. Etenim curriculo ante licentiam praecipuae disciplinae generalis institutio traditur, addito studio illarum affinium disciplinarum quae iuvant ut candidatus plenam huius disciplinae cognitionem acquirat, cuius specimen exhibet in peculiari examine ad licentiam, ex quo apparere debet eumdem candidatum praecipuam facultatis disciplinam *universe callere.* Curriculo vero ad lauream perficitur quidem formatio congrua facultati in qua quis lauream consequi intendit, sed candidatus in laborem privatum et personalem praecipue incumbit ut professor non tantum ad ea tradenda quae didicerit, sed etiam investigationibus scientificis aptus evadat.

Etenim in curriculo ad lauream candidatus paucos cursus frequentare debet, quos ex variis sectionibus eligere potest accommodatos ad singularem finem sui magisterii vel, ut aiunt, « specializationis » in quam introduci cupit: praeterea dissertationem doctoralem conficere debet, cuius thema respicere potest quaestionem aliquam peculiarem, quae quidem disciplinas facultatis attingat oportet, at non necessario ipsius praecipuae disciplinae scientiam augeat. Nunc vero, si candidatus in curriculo ad lauream in Theologia, frequentare potest cursus v. g. sectionis biblicae vel historicae etc. et dissertationem doctoralem conficere potest in aliqua quaestione quae praecipue biblica vel historica est, et hoc modo lauream in S. Theologia obtinet, ac consequenter quancumque disciplinam in facultate theologica docere potest, non apparet cur pariter non possit in facultate theologica quancumque disciplinam docere, qui

licentiatus in Theologia, non tantum per annum paucos cursus in Re Biblica vel Historica etc. frequentavit, sed per triennium his disciplinis operam dedit ac dissertationem doctoralem perfecit ad lauream consequendam.

Sane si quis ad theologiam dogmaticam docendam praeparatur, optandum omnino est ut licentiatus in theologia, in ipsa facultate theologica cursus peculiares frequentet et in theologia dogmatica dissertationem doctoralem perficiat; at non improbandus videtur qui licentiatus in Theologia, curriculum ad lauream consequendam v. g. in Re Biblica perficiat, cum Sacrae Scripturae studium tanti momenti sit ad docendam theologiam dogmaticam, praesertim ad statuenda argumenta scripturistica assertionum theologicarum; pariter non improbandus candidatus ad docendam theologiam in regionibus orientalibus vel in missionibus qui, licentiatus in Theologia, studia prosequitur ad assequendam lauream in Studiis orientalibus vel Missiologia; idem dicendum de candidato qui, licentiatus in Theologia, ut ad theologiam dogmaticam speculativam docendam se praeparet, lauream consequitur in Philosophia, quae valde utilis est ad quaestiones theologicas intimius perscrutandas et enucleandas.

Clarius adhuc res patet si de aliis disciplinis in facultate theologica tradendis agitur, cum aptior sit ad docendam Sacram Scripturam, licentiatus in Theologia et doctor in Re Biblica quam doctor in Theologia; pariter institutiones iuris canonici vel ipsam theologiam moralem docebit melius licentiatus in Theologia et doctor in Iure canonico; Historiam ecclesiasticam vel Archaeologiam qui, una cum licentia in Theologia, praeditus est laurea in Historia ecclesiastica vel in Archaeologia.

Inde patet lauream congruentem ad docendum in facultate aliqua non esse tantum lauream *illius facultatis* in qua quis docere debet, sed etiam lauream in *illis disciplinis* quas quis tradere debet; et ideo in responso additur doctorem v. g. in Iure canonico etc., qui licentia in Theo-

logia careat, non posse sane theologiam dogmaticam docere, at posse illas disciplinas in facultate theologica docere in qua licentia donatur; sic v. g. potest historiam ecclesiasticam vel institutiones iuris canonici in facultate theologica docere doctor qui licentia in Iure canonico vel in Historia ecclesiastica sit praeditus.

Quae cum ita sint, illud tandem sequi videtur, ad mentem Sacrae Congregationis, quandam *aequipollentiam* dari inter laureas ecclesiasticas supra recensitas ita ut licentiatus in Theologia iisdem iuribus fruatur quacumque laurea donetur.

P. Dezza, S. I.

11 - Sacra Romana Rota.

(*AAS* xxxvii [25 iul. 1945] p. 193).

DECRETUM

DE ORDINANDO STUDIO SACRAE ROMANAE ROTAE

Nihil antiquius habuit Sacra Romana Rota, quam ut sua florerent Studia, quibus non parvum decus et honorem in iuris historia sibi comparavit.

Non est igitur mirum quod, vix in pristinum exercitium revocata, Sacra Rota summam curam egerit in novo Studio instaurando, Ordinatione die 21 Decembris 1911 lata.

Etiam Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, de matrimonii sacramento apprime sollicita, novam edens Instructionem die 15 Augusti 1936, haec scribebat: « Hinc Sanctae Sedis mens est, et hoc Rev.mi Ordinarii probe noscant, ut electi iuvenes, doctorali saltem in iure canonico in hac Alma Urbe laurea decorati, praesertim apud Studium Sacrae Romanae Rotae, ad processus rite conficiendos atque ad recte iudicandum erudiantur, iustitia ac veritate ducibus ».

Quo pressius igitur et Sanctae Sedis menti, et tribunalium ecclesiasticorum dignitati, et animarum saluti satisfiat, Sacrae Rotae visum est antiquam Ordinationem, quae iam in nonnullis obsoleta evaserat, praesenti Ordinatione substituere, novorum temporum necessitatibus magis accommodata.

I

Apud Sacram Romanam Rotam exstat Studium, quod per triennium frequentare tenentur omnes qui ad titulum Procuratoris et Advocati Rotalis assequendum adspirant.

II

Studium regitur sub auctoritate et vigilantia Decani Sacrae Romanae Rotae.

III

Proponente Decano, Collegium Auditorum Studii Moderatorem eligit, idemque Submoderatorem eligere potest, illum e Patribus Auditoribus, hunc ex Officialibus sacri tribunalis.

IV

Docent in Studio sive Auditores, sive Officiales tribunalis, sive alii, quolibet anno, audito Studii Moderatore, a Decano selecti.

V

Traduntur in Studio sequentes disciplinae:

1. Deontologia iudicialis, seu Theologia moralis officiis tribunalis applicata;
2. Iurisprudentia de variis iuris canonici partibus, praesertim vero de iure matrimoniali, poenali, processuali;
3. Praxis officiorum tribunalis.

Methodus in Studio adhibita ea est quae per exercitationes et discussiones praesertim peragitur.

VI

Ad Studii Moderatorem spectat praescriptas disciplinas ordinare ac distribuere, quae ad rectum Studii ductum conferunt disponere, de Studii statu et condicione Decano referre, nec non suggerere quae ad eiusdem profectum conferre videantur.

VII

Ad Studii Submoderatorem pertinet, adiuvare Moderatorem in Studio regendo, documenta ad Studium pertinentia colligere, et generaliter curare ut Moderatoris praecepta perfectam exsecutionem accipiant.

VIII

In Studium adscribi possunt clerici, sive saeculares sive religiosi, et laici, licentia saltem in iure canonico aucti, et a suo Ordinario rite commendati; clerici tenentur quoque exhibere « nihil obstat » Vicariatus Urbis. Nemo autem ad examen Procuratoris seu Advocati admittitur, nisi lauream saltem in Iure canonico fuerit consecutus in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognita.

Qui vero gradum baccalaureatus saltem in Iure canonico donatus fuerit, et Studium frequentare cupiat, quin ad titulum Procuratoris seu Advocati Rotalis adspiret, a Decano petere potest ut tamquam Auditor extraordinarius admittatur.

IX

Adscriptio in Studium Decani iudicio reservatur.

Adscripti tenentur singulis annis iusiurandum emittere iuxta suetam formulam; et de praestito ab unoquoque iureiurando notarius refert in acta.

X

Adscripti in Studium debent interesse exercitationibus, studere causis sibi commissis, promere vota, illustrare quaestiones sibi propositas, pervestigationes suggestas perficere in bibliotheca, et perficere alia eiusmodi; iidem assistere possunt oralibus disputationibus, nisi Decanus vel Ponens id prohibuerit.

XI

Adscriptis in Studium, servatis quidem regulis tribunalis, licet pervolvere positiones causarum quae fuerunt ipsis assignatae, itemque, statutis diebus et horis, frequentare tribunalis bibliothecam; non autem positiones vel libros secum auferre. Perfecto vero quolibet opere, iidem tenentur summaria et quaecumque alia acta, quae apud se habeant, tribunali restituere.

XII

De alumnorum experimentis Docentes iudicium proferunt et regesto inserunt; scripta vero iudicia nec non pericula examinum, una cum regestis, in Studii archivo servantur.

XIII

Expleto quolibet curriculi anno, ac peculiari facto periculo, Docentes de singulorum alumnorum diligentia, adsiduitate, activitate ac merito scriptum iudicium proferunt, itemque declarant an eos idoneos repererint ut ad sequentem annum promoveantur; promotio vero a Decano decernitur.

XIV

Emenso triennali curriculo, cunctisque examinibus annualibus superatis, candidatus petere potest a Decano ut examini scripto subiciatur coram Collegio Rotali, ad titulum Advocati Rotalis assequendum.

Si in dicto examine satisfecerit, candidatus, praestito iureiurando coram Rotali Collegio, ad exercenda munera Procuratoris et Advocati admittitur et diplomate Advocati Rotalis donatur.

Sanctissimus Dominus, in audientia diei 8 *Iunii* 1945 *quam habuit infrascriptus, dignatus est hoc Decretum ratum habere et approbare, atque servari mandavit.*

Romae, 8 Iunii 1945.

ANDREAS JULLIEN, *Decanus.*

12 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

AAS XXXVIII [7 mart. 1946] p. 162

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS

D. An canon 692 ita intelligendus sit ut: *ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gra-*

tiis spiritualibus, necessaria quoque sint pia opera ad id legitime praescripta.

R. Affirmative.

II - DE IURE FUNERANDI

D. An ad normam canonis 1216 § 1, collati cum canone 1226 § 1, sepulcrum maiorum in aliqua ecclesia constitutum habendum sit post Codicem tamquam legitima electio ecclesiae funerantis.

R. Negative.

III - DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. An inhabilitas coniugis ad accusandum matrimonium, a canone 1971 § 1 n. 1 statuta, secumferat incapacitatem standi in iudicio, ita ut sententia vitio insanabilis nullitatis laboret iuxta canonem 1892 n. 2.

R. Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 4 Ianuarii, a. 1946.

Card. M. MASSIMI, *Praeses*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

Annotationes.

I

Can. 692 sonat: Ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus, *necesse est et sufficit* ut quis in eam valide receptus sit, secundum propria associationis statuta et ab ea legitime non expulsus. — Ad fruendas quascumque gratias[1] ab auctoritate ecclesiastica subditis concessas requiritur praeprimis ut subiectum sit *capax*, nempe praeditum omnibus qualitatibus necessariis, tum generalibus pro fruendis quibuslibet

[1] Verbo « gratiae » brevitatis causa utentes comprehendimus iura, privilegia, indulgentias aliasque gratias spirituales.

gratiis, tum si casus fert, specialibus pro certo gratiarum genere (e. g. indulgentiis), vel pro certa personarum classe (e. g. associatione). Ita e. g., ut quis capax sit sibi lucrandi *indulgentias*, debet esse baptizatus, non excommunicatus, subditus concedentis (qualitates generales), in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum (qualitas specialis pro hoc genere gratiarum; cf. can. 925); praeterea, si agitur de indulgentiis *associationi* qua tali concessis, ut quis capax sit ad fruendum, debet esse membrum associationis. (Quod ita verum est, ut si personae quae non est membrum associationis eaedem concederentur gratiae, quae sunt concessae associationi (sive directe, sive per communicationem), gratiae huic personae concessae nonnisi *materialiter* essent gratiae concessae *associationi, formaliter* vero *personae*). Quod est evidens, cum sequatur ex natura rei; proinde superflua omnino statueret c. 692, si solummodo diceret: ad fruendum ... *necesse est* (omissis: et sufficit) ut quis in eam valide receptus sit ... et ab ea legitime non expulsus; pariter superflua statueret, si expresse enuntiaret condiciones generales pro omnibus gratiis requisitas (ut sit baptizatus, non excommunicatus); et superfluam aliquis proponeret quaestionem an can. 692 ita intelligendus sit, ut necessariae quoque sint condiciones generales verificatae in subiecto.

Ut vero subiectum, supposito quod ad fruendas gratias *capax sit, de facto* fruatur gratiis concessis praeterea necesse est ut impleverit quoque condiciones, *si* concedens gratias stabiliverit pro ipsa earum *fruitione* (quod e. g. pro indulgentiis semper obtinet) et *quas* stabiliverit (e. g. certas preces vel alia pia opera). Id quod pariter evidens est; sibi enim aperte contradiceret Superior gratiam concedens, qui statueret ad gratiam de facto fruendam necessariam esse impletionem alicuius condicionis simulque declararet gratia de facto quempiam frui etiam non impleta condicione. Itaque gratiis associationi concessis sub condicione, quod praestetur aliquid (preces, pia opera), frui actu nequit mem-

brum associationis nisi ad id requisita impleverit. Sicuti qui non est membrum associationis cui qua tali gratia concessa est, gratia de facto frui nequit, etiamsi requisita praestiterit, ita membrum associationis, quamvis ad fruendam gratiam est capax, ea de facto non fruitur nisi impletis condicionibus. Ergo sensus canonis 692, etiam in suppositione quod canon agat de actuali quoque fruitione gratiarum, esse non potest: ad fruendum gratiis necesse est *et sufficit,* ut quis sit membrum associationis, quin necesse sit alias condiciones a Superiore gratias concedente ad eas fruendas fortasse praescriptas implere. Opus vero non erat, in canone expresse indicare necessitatem implendi condiciones, ut quis de facto fruatur gratiis quippe quae, cum adsit ex natura rei, necessario implicite contineatur et proinde indubitanter e canone eruatur. Quod canon juremerito omisit, Commissio in responso ad quaestionem superflue propositam benigne explicitis verbis declaravit.

De facto autem canon 692 non agit de necessariis ad actualem fruitionem gratiarum sed de capacitate ad fruendum gratiis associationi concessis praecise quatenus sunt gratiae concessae associationi; nempe respicit quaestionem, quidnam requiratur in subiecto (in membro associationis) ad fruendas gratias, quae et praecise quia sunt concessae associationi, quodque non requireretur si eaedem gratiae sub iisdem condicionibus concessae fuissent non associationi sed fidelibus simpliciter. Dubium revera circa hanc quaestionem moveri potuit et de facto ante Codicem S. Congregationi non semel propositum est, scilicet an ad fruendum gratiis associationi concessis non solum *necesse sit* ut quis sit associationis membrum sed utrum hoc simul *sufficiat,* an praeterea aliud quid requiratur, e. g. ut membri nomen jam sit inscriptum in albo associationis, vel ut socius statuta associationis fideliter observet. Resolvit canon 692: « Ad fruendum associationis gratiis necesse est *et sufficit* ut quis sit eius membrum i. e. ut in eam valide receptus sit, secundum propria associationis statuta et ab ea legi-

time non expulsus ». Ergo valide receptus ad fruendas gratias associationi concessas capax est etsi non sit inscriptus in albo associationis, nisi agatur de associatione quae in personam moralem erecta fuerit, cum in hoc casu inscriptio ad valorem ipsius receptionis necessaria sit (can. 694, § 2); ergo capax est membrum ad fruendum gratiis etsi statuta associationis male vel omnino non servet vel pia opera et preces membris praescripta non peragat, exceptis tantummodo illis gratiis, pro quibus ad fruendum precise requirantur illae praeces vel pia opera vel observantia alicuius statuti; et manet capax donec ab associatione non fuerit legitime expulsus.

Canon 692 nil novi statuit sed recepit normam quae antea vigebat. Ita iam S. C. Indulg., Cameracen., 25 ian. 1842 declaravit: Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera iniuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis, seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias acquirendas. (Cf. alia quoque documenta in calce ad can. 692 indicata).

II

Sepulcrum maiorum alicuius defuncti illud dicitur, quod eius maiores seu ascendentes sibi ipsis suisque (descendentibus vel heredibus) constituerunt.

Quaestionis propositae *sensus* est: an eo ipso quod in aliqua ecclesia constitutum sit sepulcrum maiorum, ipsa haec ecclesia habeatur legitime electa tamquam ecclesia funerans defunctorum, pro quibus illud sepulcrum est constitutum.

In sepultura ecclesiastica ex juris dispositione habetur

relatio inter locum exequiarum (ecclesiam funerantem) et locum depositionis defuncti (sepulcrum, locum sepulturae) et quidem, cum alterum elementum consideretur tamquam principale alterum tamquam secundarium, relatio *dependentiae* iuxta adagium « secundarium sequitur principale », ita nempe, ut determinato loco principali sit quoque eo ipso determinatus locus secundarius. Magna in hac re differentia est inter Codicem et ius vetus.

Ante Codicem enim tamquam *principale* considerabatur *locus sepulturae,* proinde vigebat norma « ubi tumulus ibi funus »; locus sepulturae erat coemeterium paroeciae defuncti propriae, *duobus* casibus exceptis, quorum unus erat locus sepulturae a defuncto electus, alter sepulcrum maiorum defuncti. Consequenter *ecclesia funerans* erat ecclesia paroecialis defuncti propria exceptis *duobus* casibus, uno si defunctus elegerit sepulcrum in loco diverso a coemeterio suae propriae paroeciae (extra territorium propriae paroeciae), altero si habuerit sepulcrum maiorum in ecclesia non sua paroeciali (dummodo non elegerit alium sepulturae locum); quo in casu ecclesiae sepulcri maiorum intactum servabatur ius funerandi etiam quando, vetita sepultura in ecclesiis, defunctus sepeliri debebat in coemeterio, cum consideraretur locus tantum mutatus immutato manente jure.

Codex e contra tamquam *principale* habet *ecclesiam funerantem,* locum sepulturae tamquam secundarium (« ubi funus, ibi tumulus »); proinde locus sepulturae est coemeterium ecclesiae funerantis, exceptis *duobus* casibus, uno si defunctus alium locum sepulturae elegerit, altero si alibi habeat sepulcrum maiorum (neque alium locum sepulturae sibi elegerit). *Ecclesia* vero *funerans* ex iure communi ordinario « est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit » (canon 1216 § 1); et statuitur (in canone sequenti); « In dubio de iure alius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet ». Itaque ius

vigens (secus ac ius vetus) *unum* tantum et unicum admittit casum exceptum, nempe si defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit. Ergo sepulcrum maiorum, qua tale, in determinanda ecclesia funerante non venit in considerationem et nullum parit ius funerandi ecclesiae in qua constitutum est; sed nisi ecclesia sepulcri maiorum a defuncto legitime electa fuerit in ecclesiam funerantem, ecclesia funerans (nisi defunctus aliam aliquam legitime elegerit) est unice ecclesia propriae defuncti paroeciae.

Inde elucet *momentum quaestionis* Commissioni propositae: si enim detur responsum negativum, nempe si sepulcrum maiorum in aliqua ecclesia constitutum habendum *non* sit post Codicem tamquam legitima electio ecclesiae funerantis, ecclesia sepulcri maiorum non est ecclesia funerans, sed ius funerandi competit ecclesiae paroeciali defuncti propriae (nisi aliam legitime elegerit). Iuxta canonem 1216 § 1 ius funerandi ecclesiae paroecialis eluditur tantummodo ab ecclesia legitime electa *ab ipso defuncto*: « nisi *defunctus* aliam funeris ecclesiam legitime elegerit; et canon 1223 § 1 facultatem tribuit: « eligere ecclesiam *sui* funeris aut coemeterium sepulturae ». Concedit tamen canon 1226 § 1: « Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest *per se vel per alium* cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet ». Semper tamen de legitime facta electione vel mandati concessione certo constare debet, secus « in dubio de iure alius ecclesiae, ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet » (canon 1217).

In quaestione proposita sicuti sonat, utpote quae spectat praecise sepulcrum maiorum constitutum *in aliqua ecclesia,* ergo saltem ante circa 150 annos, evidenter sermo esse non potest de qualibet electione *defuncti* sive per se ipsum sive per eius mandatum; proinde tale sepulcrum habendum non est post Codicem tamquam legitima

electio funerantis; itaque ad quaestionem, uti sonat, aliud responsum non erat exspectandum nisi negativum.

An in casu concreto aliqua ecclesia, in qua constitutum est sepulcrum maiorum adhuc extans, etiam post Codicem retinuerit ius funerandi defunctos, pro quibus est constitutum, quaestio est, quae versatur extra limites quaestionis sicuti praecise proposita est Commissioni.

Quaestio moveri potest, an in casu quo defunctus expresse et legitime elegerit tamquam locum sepulturae sepulcrum maiorum in coemeterio pertinente ad ecclesiam, in qua adhuc exstat constitutum sepulcrum maiorum, nulla tamen facta expressa et explicita electione alicuius ecclesiae funerantis, ecclesia sepulcri maiorum habenda sit tamquam ecclesia funerans legitime a defuncto *electa* utique non explicite sed *implicite*? Respondetur negative. Nam quaelibet electio implicita supponit, quod obiective, independenter a voluntate eligentis, habeatur, sive ex natura rei sive ex positiva legis dispositione, nexus necessarius inter obiectum, quod explicite eligitur, et obiectum, de quo quaeritur an implicite eligatur; in casu, quod determinato (electo) *loco sepulturae* eo ipso habeatur determinata (electa) *ecclesia funerans*. Qui nexus necessarius non existit; non ex natura rei, quod est evidens; non ex dispositione legis, de qua nullum invenitur vestigium in Codice, qui *unicam* admittit rationem determinantem ecclesiam funerantem (quae non sit paroecialis defuncti propria), nempe defuncti *electionem* legitimam *ipsius ecclesiae* funerantis (canon 1216 § 1). Proinde determinatione loci sepulturae per electionem defuncti non habetur determinatio ecclesiae funerantis.

Minus adhuc habetur determinata ecclesia funerans, si locus sepulturae non a defuncto electus sed aliter determinatus est.

Itaque ex iure communi ordinario Codicis nisi defunctus legitime aliam ecclesiam *explicite* elegerit, ecclesia funeris unice est ecclesia propriae defuncti paroeciae.

Codex aperte favet ecclesiae paroeciali (quod elucet inter alia ex eo quoque quod non statuerit nexum necessarium dependentiae ecclesiae funerantis a sepulcro maiorum), quin tamen afferat praeiudicium neque defuncto neque ecclesiae sepulcri maiorum vel cuilibet aliae, cum defunctus semper si voluerit possit legitime eligere et quidem quam vult ecclesiam funerantem.

A. Schönegger, S. I.

III

Nemo profecto ignorat quot dubia orta sint ac difficultates excitatae circa vim et valorem canonis 1971, § 1. Hinc plura responsa a Pontificia Commissione Codicis data (12 mart. 1929; 17 febr. 1930; 17 iul. 1933; 27 iul. 1942; 6 dec. 1943).

Nuper aliud dubium, supra iam enuntiatum, pro opportuna resolutione propositum fuit. Quaedam congruenter animadvertenda videntur ad rectam praefati dubii ac responsi intelligentiam.

1. Accusare matrimonium, generatim loquendo, idem est ac iudicialem actionem instituere coram magistratu competenti. Porro eatenus quis agere valet in iudicio seu actionem iudicialem promovere, quatenus habet legitimam personam standi in iudicio. Ulterius, in tantum quis agere valet in iudicio, in quantum a sacris canonibus non prohibeatur (can. 1656). Quare Wernz-Vidal (VI, n. 205, 208) merito aiunt: « Omnes iique soli in iudicio ecclesiastico nomine proprio agere vel convenire possunt, sive, ut dicitur, habent *legitimam personam standi in iudicio*, qui neque impediuntur iure naturali, neque prohibentur iure positivo Ecclesiae ... In causis nullitatis matrimonii agere possunt ipsi coniuges, *excepto illo coniuge qui causam dedit impedimento* ».

2. Generatim ii omnes iique soli matrimonium accu-

sare valent seu iudicialiter impetere validitatem ipsius aut obligationem cohabitationis, quorum validitas vinculi aut obligatio cohabitandi immediate ac directe interest, vel ad quos pertinet publicam moralitatem tueri et publicum scandalum amovere.

Ex can. 1971, § 1 matrimonium accusare possunt tum coniuges ipsi tum promotor iustitiae; illi quidem in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint causa impedimenti (causa culpabilis seu dolosa et directa); hic autem in impedimentis natura sua publicis. Tam in processu criminali (cfr. can. 1934 ss.) quam in processu matrimoniali (cfr. can. 1971, §§ 1 et 2), *accusatio* probe distinguitur a *denuntiatione*. Qui nullitatem coniugii denuntiat, non ipse actionem instituit, sed causam Ordinario vel promotori iustitiae notificat, ut hic, si iustitia postulare videatur, actionem instituat.

3. Coniux *habilis* ad accusandum matrimonium procul dubio gaudet capacitate agendi; ideoque, ut aiunt, habet legitimam personam standi in iudicio. Si coniux sit *inhabilis*, videretur qua talis capacitate agendi seu standi in iudicio destitutus; cum termini isti « *habilis* » et « *inhabilis* », « *capax* » et « *incapax* » correlativi sint. Recte docet Roberti: « Legitima persona standi in iudicio comprehendit *legitimationem ad processum* (stare in iudicio per se) et *legitimationem ad causam* (stare in iudicio simpliciter, sive per se sive per alium)... Legitimatione ad causam carent omnes acatholici... *Pariter iure agendi in causa nullitatis matrimonii privantur ... iidem coniuges qui fuerunt impedimenti causa* » (*De processibus*, II, n. 490).

Hinc facile explicatur loquendi ratio plurium Auctorum, qui vel explicite vel saltem implicite capacitatem agendi in iudicio denegant coniugi culpabili. Cfr. Noval, *De iudiciis*, I, n. 850; Wernz-Vidal, V, n. 698; Matth. a Coronata, III, n. 1485; Blat, IV, n. 526; Vlaming, *Praelectiones iuris matrimonialis*, II, n. 796; Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 1260, ed. post Codicem.

Verum quoad nullitatem sententiae ob defectum legitimae personae standi in iudicio ad normam can. 1892, 2°, praefati Auctores, uno alterove tantum excepto, expresse verba minime faciunt, adeo ut ex eorum doctrina nequaquam constet, utrum sententia lata in causa matrimoniali a coniuge culpabili qua actore instituta, valida an invalida sit.

Iurisprudentia ecclesiastica tum tribunalium inferiorum tum ipsius S. R. Rotae concors non est. Quaedam sententiae tenent haberi in casu nullitatem insanabilem ex eo quod coniux culpabilis in poenam privatur iure agendi in iudicio seu legitima persona standi in iudicio qua auctor destituitur. Nonnullae sententiae admittunt incapacitatem tantum relativam ex parte coniugis culpabilis ad agendum, non autem incapacitatem absolutam, proindeque affirmant nullitatem esse sanabilem. Quaedam sententiae utramque excludunt. Ex sententiis Rotabilibus publici iuris iam factis, nonnullae huc speciatim spectant: vol. XX, p. 405 s.; vol. XXIII, p. 46 ss.; vol. XXVII, p. 308, 445, 453; vol. XXVIII p. 734; vol. XXIX, p. 517.

4. Si res obiective consideretur et argumenta hinc inde allata mature perpendantur, ingenue fatendum varias opiniones et sententias solidis niti rationibus. Ex una parte can. 1971, § 1, 1° clare et explicite nullatenus denegat coniugi culpabii legitimam personam standi in iudicio, ideoque non videtur applicandum praescriptum can. 1892, 2°; praeterea, non semper liquet an coniux fuerit revera causa culpabilis, an malitiose egerit, an culpa gravis fuerit obiective et subiective, ita ut, cum agatur de re admodum gravi, coniux nequeat haberi tamquam iure agendi privatus nisi in foro externo certo constet de vera et gravi ipsius culpabilitate; demum, admissa nullitate insanabili, si deinceps orirentur dubia sive *pro* sive *contra*, complura eaque gravissima haberentur incommoda tum quoad valorem processus et actorum iudicialium tum quoad valorem ipsius sententiae, cum querela nullitatis per modum excep-

tionis semper proponi queat, per modum actionis intra triginta annos a die publicationis sententiae (can. 1893).

Ex alia parte can. 1971, § 1, 1° collatus cum can. 1646 et 1648 ss., videtur coniugem culpabilem iure agendi privare, seu decernere eumdem personam standi in iudicio non habere. Quid sane voces *habilis* vel *inhabilis, capax* vel *incapax* significant? Praeterea, si coniux, quamvis culpabilis, posset nihilominus stare in iudicio in eoque agere, quid prodesset praescriptum can. 1971, § 1, 1°, et quinam essent effetus iuridici poenae statutae et privationis latae? Profecto aut nulli aut minimi momenti.

Hinc quisque manifeste perspicit quaenam sit ratio dubii et responsi memorati, quodnam pondus eiusdem, quae difficultates et quaestiones inde resolutae manserint.

5. Quaedam dubia adhuc moveri possent quoad coniuges *acatholicos* et *excommunicatos* vitandos et toleratos post sententiam condemnatoriam et declaratoriam. Acatholicus in causis matrimonialibus nequit *actoris* partes agere sine praevia facultate S. Sedis (can. 87; S. Off. 27 ian. 1928 et 27 febr. 1937). Excommunicatis applicatur praescriptum can. 1654.

Coniux acatholicus independenter a venia S. Sedis, itemque excommunicatus vitandus vel toleratus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam (extra casus, de quibus in can. 1654, § 1), habetne legitimam personam standi in iudicio ideoque foret applicandum necne praescriptum can. 1892, 2°, seu sententia esset valida an invalida et quidem vitio insanabilis nullitatis? Ex principiis generalibus iuris responsio difficultatem haud facessit. At opportunius ducimus in solutione huius quaestionis non immorari, tum quia quaestio ista directe non respicit punctum iuris de quo nunc agitur, tum quia de praedicta quaestione alia occasione fuse agemus.

F. M. Cappello, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

13. - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Constitutio apostolica *Ad faciliorem evangelii*, 28 apr. 1942, qua nova praefectura apostolica erigitur, « Niameyensis » nuncupanda (*AAS* xxxviii [23-25 ian. 1946] p. 11-12).

B — Constitutio apostolica *Quo in Thailandensi*, 11 maii 1944, qua novus vicariatus apostolicus de Chanthaburi erigitur (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 305-306).

C — Constitutio apostolica *Ecclesiarum omnium*, 15 iunii 1945, qua nova praefectura apostolica de Labateca erigitur (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 307-308).

D — Constitutio apostolica *In catholici orbis*, 13 iul. 1945, qua nova erigitur praefectura apostolica sub nomine S. Ioseph de Amazones (*AAS* xxxviii [23-25 ian. 1946] p. 13-14).

E — Epistula *Laetitiam cepimus*, 15 aug. 1945, ad Em.mum P. D. MICHAELEM S. R. E. Cardinalem FAULHABER, archiepiscopum Monacensem et Frisingensem ceterosque Exc.mos PP. Bavariae archiepiscopos et episcopos (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 249-251).

F — Epistula *Provide hoc contingere censemus*, 28 aug. 1945, ad Exc.mos PP. DD. archiepiscopos, episcopos ceterosque in Cecoslovaca republica locorum ordinarios, sexto impleto saeculo ab ortu sancti Ioannis Nepomuceni (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 252-254).

G — Epistula *Mater spei*, 24 sept. 1945, ad Em.mum P. D. RODRIGUUM S. R. E. Cardinalem VILLENEUVE, archiepiscopum Quebecensem, quem legatum mittit ad conventum Marialem ad sanctuarium B. Mariae V. Guadalupensis Mexicopoli celebrandum (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 254-256).

H — Nuntius radiophonicus Christifidelibus, 30 sept. 1945, ob conventum in honorem Iesu Christi Regis e tota Columbiana republica in urbe Bogotensi coadunatis (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 262-264).

I — Epistula *Notre dévotion*, 8 oct. 1945, ad R. P. STEPHANUM CRUVEILLER, moderatorem generalem Missionariorum B. M. V. a « La Salette », exeunte saeculo ab apparitione eiusdem

B. M. V. in oppido « La Salette » (*AAS* xxxviii [7 mart.-1 apr. 1946] p. 155-156).

K — Nuntius radiophonicus 12 oct. 1945, christifidelibus ob Marialem conventum ad sanctuarium B. Mariae V. Guadalupensis Mexicopoli coadunatis (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 264-267).

L — Epistula *Il y aura donc un siècle,* 19 oct. 1945, ad R. P. GERVASIUM QUÉNARD, praepositum generalem Augustinianorum ab Assumptione, saeculo impleto ab ortu eiusdem piae societatis (*AAS* xxxviii [7 mart. - 1 apr. 1946] p. 157-158).

M — Epistula *Ben volontieri,* 19 oct. 1945, ad Em.mum P. D. ALOYSIUM S. R. E. Cardinalem LAVITRANUM praesidem Commissionis cardinalitiae moderandae Actioni catholicae in Italia praepositae (*AAS* xxxvii [28 nov. 1945] p. 273-274).

N — Nuntius radiophonicus 28 oct. 1945, christifidelibus Argentinae, exeunte saeculo ab institutione Sodalitatis a Precationis apostolatu Bonaërensi in urbe coadunatis ac Ss.mo Cordi Iesu totam rempublicam dicantibus (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945]

O — Epistula *Ex amantissimis,* 30 oct. 1945, ad Exc.mum P. D. MICHAELEM RACKL, episcopum Eystettensem, duodecimo elapso saeculo a dioecesi Eystettensi condita (*AAS* xxxvii [28 nov. 1945] p. 275-277).

P — Epistula *Vixdum vobis licuit,* 1 nov. 1945, ad Em.mum P. D. MICHAELEM S. R. E. Presb. Card. DE FAULHABER, archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, ceterosque Exc.mos PP. Germaniae archiepiscopos, episcopos locorumque ordinarios, communibus eorum officiosis litteris respondens (*AAS* xxxvii [28 nov. 1945] p. 278-283).

Q — Nuntius radiophonicus, 18 nov. 1945, christifidelibus Hispaniae sacra sollemnia ob saeculum impletum ab institutione Sodalitatis a Precationis apostolatu Matritensi in urbe celebrantibus (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 321-324).

R — Epistula *Quartum exactum saeculum,* 21 nov. 1945, ad Exc.mum P. D. CAROLUM DE FERRARI, archiepiscopum Tridentinum, ob celebrationem quarti elapsi saeculi ex quo oecumenica Tridentina synodus inita fuit (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 309-314).

S — Allocutio 27 nov. 1945, qua Summus Pontifex humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir ALOISIUS CASTINEIRAS, qua Argentinae reipublicae orator extraordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexit, respondit (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 314-317).

T — Allocutio 29 nov. 1945, qua Summus Pontifex Hebraeis

profugis, post aerumnas belli e captivitate redeuntibus eique grati animi sensus proferentibus, respondit (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 317-318).

U — Sermo 24 dec. 1945, a SS.mo D. N. Pio Pp. XII habitus adstantibus Em.mis PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. episcopis ac Romanae curiae praelatis (*AAS* xxxviii [23-25 ian. 1946] p. 15-25).

V — Epistula Encyclica *Quemadmodum*, 6 ian. 1946, ad Venerabiles Fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque locorum ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes, de indigentium puerorum cura alacrius hodie suscipienda (*AAS* xxxviii [23-25 ian. 1946] p. 5-11).

X — Allocutio 20 febr. 1946 quam Beatissimus Pater Em.mis ac Rev.mis Patribus cardinalibus recenter creatis habuit (*AAS* xxxviii [7 mart. - 1 apr. 1946] p 141-152).

Y — Allocutio 25 febr. 1946 ad Legatos Nationum post consistorium obsequii gratique animi sensus Beatissimo Patri exhibentes (*AAS* xxxviii [7 mart. - 1 apr. 1946] p. 152-155).

14 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 1 aug. 1945, de vicariatu apostolico S. Leonis de Amazones in posterum « de Iquitos » appellando (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 269).

15 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

Parisien. seu Carcassonen. Decretum 21 maii 1945, Super dubio: An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis venerabilis servae Dei Mariae Teresiae de Soubiran, fundatricis Societatis Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxxvii [25 oct. 1945] p. 270-272).

Albanen. Decretum 21 maii 1945, Super dubio: An, stante approbatione martyrii eiusque causae, necnon dispensatione, ad tramitem canonis 2116 § 2 Codicis iuris canonici, a miraculis seu signis, *Tuto* procedi possit ad sollemnem servae Dei Mariae Goretti beatificationem, beatificationis seu declarationis martyrii venerabilis servae Dei Mariae Goretti, virginis saecularis (*AAS* xxxvii [28 nov. 1945] p. 299-300).

Lucionen. Decretum 21 maii 1945, Super dubio: An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam beato Ludo-

vico M. Grignion de Montfort ab Apostolica Sede venerationem, *Tuto* procedi possit ad sollemnem eiusdem canonizationem, canonizationis b. Ludovici M. Grignion de Montfort, confessoris, fundatoris Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Filiarum Sapientiae (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 328-330).

Romana. Decretum 22 iunii 1945, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servi Dei Hyacinthi M. Cormier, sacerdotis professi Ordinis Praedicatorum (*AAS* xxxvii [23 dec. 1945] p. 330-332).

16 - Sacra Paenitentiaria apostolica

Decretum 21 nov. 1945, quo indulgentia ditatur Praefectorum apostolicorum anuli osculatio (*AAS* xxxviii [7 mart. - 1 apr. 1946] p. 159.

17 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

6 iun. 1945, cathedralibus ecclesiis aeque principaliter unitis S. Marci et Bisinianensi, R. D. Michaël Rateni.

9 iun. 1945, cathedrali ecclesiae Edmundstonensi, noviter erectae, R. P. Antonius Maria Roy, OFM.

7 sept. 1945, cathedralibus ecclesiis invicem perpetuo unitis Lunensi seu Spediensi, Sarzanensi et Brugnatensi, Exc. P. D. Iosephus Stella.

19 maii 1945, titulari episcopali ecclesiae Messeniensi, R. D. Iulianus Weber, e Soc. Presb. a S. Sulpitio, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi E. Ruch, episcopi Argentinensis.

9 sept. 1945, cathedrali ecclesiae Novariensi, Exc. P. D. Leo Iacobus Ossola.

9 sept. 1945, cathedralibus ecclesiis Bellunensi et Feltrensi, aeque principaliter unitis, Exc. P. D. Hieronymus B. Bortignon.

23 sept. 1945, cathedrali ecclesiae Lojanae, Exc. P. D. Robertus Aguirre.

27 sept. 1945, cathedrali ecclesiae Victoriensis Venetorum, Exc. P. D. Iosephus Zaffonato.

2 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Sarsinatensi, Exc. P. D. Carolus Stoppa.

2 oct. 1945, metropolitanae ecclesiae Strignoniensi, Exc. P. D. Iosephus Mindszenty, hactenus episcopus Veszprimiensis.

10 oct. 1945, metropolitanae ecclesiae Vercellensi, Exc. P. D. Franciscus Imberti, hactenus episcopus Augustanus.

10 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Concordiensi, Exc. P. D. Victorius d'Alessi.

11 oct. 1945, metropolitanae ecclesiae Panormitanae, Exc. P. D. Ernestus Ruffini.

12 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Diliensi, noviter erectae R. D. Iacobus Garcia Goulart.

20 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Lausannensi, Genevensi et Friburgensi, R. D. Franciscus Charrière.

22 oct. 1945, metropolitanae ecclesiae Surrentinae, Exc. P. D. Carolus Serena, hactenus archiepiscopus Myrensis.

27 oct. 1945, titulari ecclesiae Dorylaënsi R. D. Iosephus Baeten, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Petri H. G. Hopmans, episcopi Bredani.

30 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Alexandrinae Statiellorum, Exc. P. D. Petrus I. Gagnor.

30 oct. 1945, cathedrali ecclesiae Apuaniensi, R. D. Carolus Boiardi.

3 nov. 1945, metropolitanae ecclesiae Aquensi, R. D. Carolus de Provenchères.

3 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Mimatensi, Exc. P. D. Mauritius Rousseau.

3 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Blesensi, R. D. Aloisius Robin.

3 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Atrebatensi, R. D. Victorius Perrin.

10 nov. 1945, archiepiscopali ecclesiae Anconitanae, titulo Numanae ecclesiae auctae, R. D. Aegidius Bignamini.

21 nov. 1945, abbatiae « nullius dioecesis » archicoenobii Montis Casini, cui adnexa est praepositura Athinensis, R. P. Ildephonsus Rea, hactenus abbas ordinarius abbatiae « nullius » Ss.mae Trinitatis Cavensis.

24 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Iarensi seu S. Elisabeth, Exc. P. D. Iosephus Cuenco.

25 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Mindoniensi, R. D. Fernandus Quiroga Palacios.

25 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Iacensi, R. D. Iosephus M. Bueno Monreal.

25 nov. 1945, cathedrali ecclesiae Celsonensi, R. D. Vincentius Enrique Tarancón.

15 dec. 1945, cathedrali ecclesiae Limericiensi, R. D. Patricius O' Neill.

15 dec. 1945, cathedrali ecclesiae Ergadiensi et Insularum, R. D. Tennet Grant.

15 dec. 1945, cathedrali ecclesiae Garanhunensi, Exc. P. D. Iuvencius Britto.

16 dec. 1945, metropolitanae ecclesiae Limanae, Exc. P. D. Ioannes G. Guevara, hactenus archiepiscopus Truxillensis.

22 dec. 1945, cathedrali ecclesiae Gaspesiensi, Exc. P. D. Albenus Le Blanc, hactenus episcopus Hearstensis.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide constituti sunt:

24 mart. 1944, R. D. Franciscus Hong Takeoka, vicarius apostolicus vicariatus de Heijo.

11 maii 1944, R. D. Ioannes A. Cheng, vicarius apostolicus de Chantaburi.

18 ian. 1945, Exc. P. D. Alanus Guynot de Boismenu, vicarius apostolicus Papuasiae.

15 iun. 1945, R. P. Henricus Routhier, e Congr. Oblatorum B. M. V. Immaculatae, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ubaldi Langlois, vicarii apostolici de Grouard.

22 iun. 1945, R. P. Antonius Jordan, e Congr. Oblatorum B. M. V. Immaculatae, vicarius apostolicus de Prince Rupert.

11 iul. 1945, R. P. Thaddaeus (Anselmus) Le-Huu-Tu, ex Ord. Cisterciensium Reform., vicarius apostolicus de Path-Diem.

25 aug. 1945, R. P. Gulielmus (Apollinaris) Baumgartner, OFM Capuccinorum, vicarius apostolicus Guamensis.

14 sept. 1945, R. P. Martinus Lucas, e Soc. Verbi Divini, delegatus apostolicus Africae meridionalis.

8 nov. 1945, R. P. Iosephus Strebler, Soc. pro Miss. ad Afros sodalis, vicarius apostolicus Lomensis.

18 - Nominationes

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt:

25 iun. 1945, R. D. Aloisius E. Garcia, e Seminario Yarumalensi pro Missionibus, praefectus apostolicus de Labateca.

28 sept. 1945, R. P. Bernardinus a Sieweller (Henricus Hoffmann), OFM. Cappuccinorum, praefectus apostolicus de Gibuti.

23 nov. 1945, R. P. Raymondus H. Martin, e Congr. S. Spiritus, praefectus apostolicus Insularum Sancti Petri et Miquelonensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I. - Ex libris

MATTHAEUS CONTE A CORONATA, O. F. M. Cap., *Institutiones Iuris canonici ad usum utriusque cleri et scholarum. De sacramentis tractatus canonicus*, vol. II: *De ordine*, Taurini (Marietti), s. a., 14,5 × 21,5 cm., XI-400 pag.; vol. III: *De matrimonio*, 1946, XII-1210 pag.

J. F. VAN DER STAPPEN et AUG. CROEGAERT, *Caeremoniale ad usum alumnorum seminarii archiepiscopalis Mechliniensis*. Pars altera: *De celebrante*, edit. 5a, Mechliniae (Dessain), 1946, 16 × 23,5 cm., XXV-543 pag.

II. - Ex periodicis

CHRISTUS, XI (1946) fasc. 124 et 125 (marzo; april). — *Complures consultationes de rebus moralibus et canonicis.*

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, XXXI (1946), fasc. III (maii) — V. HEYLEN, *La justice et son évolution*, p. 255-270 — A. VAN HOVE, *Moderne theologie en benutting van S. Thomas*, p. 271-287.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LV-LVI (1944-1945), fasc. 3 (dic.) — FERNANDO DELLA ROCCA, *A proposito di alcuni indirizzi giurisprudenziali in materia matrimoniale*, p. 269-282.

EPHEMERIDES LITURGICAE, LIX (1945), fasc. I-IV. — HUBERT JEDIN, *Das Konzil von Trient und die Reform der liturgischen Bücher*, p. 5-38. — ANNIBALE BUGNINI, CM, *La « liturgia » dei sacramenti al concilio di Trento*, p. 39-51. — CAESARIUS VAN HULST, OFM, *De antiphona « Salve Regina » impugnata et defensa in prioribus reformationis Lutheranae annis*, p. 322-333.

IL MONITORE ECCLESIASTICO, Anno 68o (1943), fasc. 7-8. — L. P., *Della consacrazione all'Immacolato Cuore di Maria*, p. 132-135.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN, XLII (1946), Aflever. 2-3 (febr. maart) — L. Buijs C. SS. R., *Zielzorg en politiek,* p. 50-63. — Aflever. 4 (apr.). — Bern. Alfrink, *Het nieuwe latijnsche Psalterium,* p. 89-102.

REVUE DIOCESAINE DE NAMUR, 1946, Num. 1-2 (janv.-mars). — E. Ranwez, *A qui doit-on obéissance?* p. 48-54. — J. Lebon, *Les fondements dogmatiques de la consécration au Coeur Immaculé de Marie,* p. 55-86.

REVUE DIOCESAINE DE TOURNAI, Mai 1946 — Xavier Nassaux, *Notre office du Saint-Sacrement,* p. 241-266. — Charles Bilcke, *L'oeuvre des retraites ukrainiennes,* p. 313-317.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, XXVII (1946), fasc. VI (giugno) — Ubaldo Pellegrino, *La donna e il comunismo,* p.219-228.

RIVISTA DI FILOSOFIA NEO-SCOLASTICA, XXXVIII (1946), fasc. I (marzo). — G. Graneris, *L'amoralità nella legge giuridica di fronte alla dottrina di S. Tommaso,* p. 1-25.

IUS CANONICUM

AUCTORE

P. FRANCISCO XAV. WERNZ S. I.

AD

CODICIS NORMAM EXACTUM

OPERA

P. PETRI VIDAL S. I.

Tom. I. *Normae Generales* - p. VI-487	350
Tom. II. *De Personis* - p. XVI-978 (1942) ed. 3ª.	700
Tom. III. *De Religiosis* - p. XVI-560	350
Tom. IV. *De Rebus* - p. XI-786 (vol. I)	500
Tom. IV. *De Rebus* - p. VI-358 (vol. II)	250
Tom. V. *Ius Matrimoniale* - p. XVI-954 (1946) ed. 3ª.	1000
Tom. VI. *De Processibus.*	
Pars prima, p. XIV-608	400
Pars altera, p. 609-784	150
Tom. VII. *Ius Poenale Ecclesiae* - p. VIII-613	400

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE UNIVERSA LITURGICA CONCILII TRIDENTINI OPERA

Quoniam sane concilii Tridentini liturgica opera apposite enarrari non potest, nisi prius clare determinatum est qua ratione ipsum liturgiae nomen accipiendum sit eiusque natura intellegenda, initium sumamus, more scholastico, a definitione aliqua liturgiae catholicae — de hac namque sola hic sermo fit — quae sit simul nominis et naturae.

At non una de ea re est etiamnum sententia. Etsi enim omnes qui de rebus liturgicis maiore vel minore scientia ac peritia scripserunt, in hoc consentiunt quod liturgiam catholicam e missa, sacramentis ac sacramentalibus, officiis, commemorationibus aliisque solemnibus exercitationibus constare existimant, multum tamen inter se discrepant cum definire conantur quid in iisdem institutis proprie liturgicum sit. Ne tamen diutius in his exordiis immoremur, eam sententiam veriorem habendam esse fidenter declaramus quae aptius cum doctrina sancti Thomae [1] et definitione codicis Iuris canonici [2] cohaeret. Ea porro est quae censet instituta quae diximus, liturgica es-

---

[1] *Summa theologica*, II-II, q. 81-91; III, q. 60-65; *Summa contra Gentiles*, l. III, c. 119-120.

[2] Canon 1256.

se, prout partes sunt e quibus constat cultus ille quo Ecclesia Deum publice colit, id est ei ob singularem suam excellentiam summumque dominium debitam reverentiam ac subiectionem publice protestatur. Liturgia scilicet aliud non est quam ipse publicus Dei cultus in Ecclesia catholica, ad quem eadem illa instituta non solum per secundarias suas caerimonias sed ipsa per se pertinent. Sicut ipsum eucharisticum sacrificium, ita ipsa sacramenta et sacramentalia, ipsam Dei in officiis ac processionibus laudationem vel precationem, ipsas mysteriorum vel sanctorum commemorationes, ipsas solemnes abstinentias et ieiunia liturgica dicimus, quatenus per haec Deus ab Ecclesia publice colitur.

Quare ad operam liturgicam concilii Tridentini congruenter describendam, satis nequaquam est ea solum commemorare quae Patres fecerunt vel ad tuendas missae sacramentorumve quorundam caerimonias [3], vel ad abusus quibus eaedem subjacebant corrigendos, vel ad paucorum librorum editionem praeparandam [4], sed ea quoque omnino recensenda sunt quae ad rectam de missa, sacramentis et reliquis partibus cultus doctrinam defendendam et confirmandam, quaeque ad eadem ab ipso interitu vindicanda, Spiritus sancti ductu, egerunt. Missae namque, sacramentorum ac sacramentalium, cultus sanctorum, solemnium abstinentiarum ac ieiuniorum interitum, et per hunc totius cultus liturgici ruinam, aperte minabantur novatorum errores.

Quanti loci ac momenti sit missa in cultu liturgico nullus homo vere catholicus est quin institutione sua didicerit usuque expertus sit.

---

[3] De iis sollerter disseruit nuper A. Bugnini, *La « liturgia » dei sacramenti al concilio di Trento*, in *Ephemerides liturgicae*, 59 (1946), p. 39-51.

[4] Quam rem diligenter tractavit H. Jedin, *Das Konzil von Trient und die Reform der liturgischen Bücher*, ibidem, p. 5-38. Cfr etiam Mateo del Alamo, *Trento y la liturgia*, in *El concilio de Trento*, Exposiciones e investigaciones por colaboradores de Razón y Fe, Madrid, 1945, p. 293-317.

Missa videlicet novae legis sacrificium est. Sacrificium autem actus ille cultus publici est qui cum praecipuo prorsus modo reverentiam et subiectionem soli Deo debitam significet, alii nemini, nisi ipsi Deo exhiberi potest actusque divini cultus per excellentiam dicendus est. Per missam nimirum maxime in actum etiam exteriorem transit prompta illa voluntas quaecumque ad divinum cultum pertinent exsequendi, quam sanctus Thomas devotionem vocat, et tamquam principium quoddam omnium actuum cultus proponit. Iustissime sane Graeci missam nomine liturgiae appellaverunt.

Missa praeterea praecipuum actorem ipsum Dominum habet, qui, caput Ecclesiae principalisque sacerdos, se ipse visibilis sacerdotis ministerio, modo incruento cruentum crucis sacrificium renovans, in sacramentali corporis ac sanguinis sui separatione mystice in altari offert. Cuius oblationis suae sociam habet Ecclesiam universam, cum haec una cum sponso suo non solum huius corpus et animam, sed semet ipsa victimam Deo offert. Est enim missa vere totius Ecclesiae sacrificium quae ad hoc offerendum ministros suos, praecipue suos sacerdotes delegat.

Porro etsi sacrificium missae ex iis institutis est quae ad hominem pertinent in comparationem ad Deum, ut verbis sancti Thomae utar, etsi imprimis latreuticum est atque eucharisticum, utpote quod a famulis offeratur et iis ab eo eximiis beneficiis refertis, nihilo minus simul est propitiatorium, tale quod hominibus peccatoribus ac mendicis conveniat, Deum vero placatum et ad beneficia iis continuanda propensum reddat.

Quod si mentem nostram ad preces et caerimonias convertimus, quibus in missae sacrificio celebrando Ecclesia utitur, quid in iis reperimus quin sit sanctum, pium, nobile, pulchrum, usui hierarchicae communitati accommodatum? Etenim missa est per excellentiam quoque ritus conventus ecclesiastici Dei colendi causa congregandi, seu

missa est ritus conventus ecclesiastici omnino principalis. Utique, sicut Ecclesia sine liturgico cultu esse non potest, sic cultus liturgicus esse non potest sine missa. Hoc plane sentiebant saeculi XVI novatores. « Triumphata vero missa, scribebat anno 1522 Lutherus, puto nos totum papatum (*var.* papam) triumphare. Nam super missam ceu rupem nititur totus papatus cum suis monasteriis, episcopatibus, collegiis, altaribus, ministeriis et doctrinis, atque adeo cum toto ventre suo. Quae omnia ruere necesse est, ruente missa eorum sacrilega et abominanda » [5]. Et iterum quindecim annis post: « In hoc articulo de missa concilium potissimum sudabit et consummabitur. Etsi enim possibile esset ut omnes reliquos articulos nobis concederent, tamen hunc concedere non poterunt; quemadmodum Campegius Augustae dixit, se prius omnia tormenta, membrorum dilaniationem et mortem passurum, quam missam missam facturum esse ... Sentiunt quidem optime (papistae), cadente missa, cadere papatum » [6]. Nullum certe e catholicis institutis, praeter papatum, tot et tantis contumeliis quot quantisque missam insectatus est Lutherus. « Missa, inquiebat, opus diabolicum est; maxima ac foedissima omnium papisticarum abominationum; cauda apocalyptici draconis innumeras in ecclesias faeces sordesque profundens; detestabilissima iniuria, dedecus omnium atrocissimum quae Domino nostro Iesu Christo ipsique Deo Patri inferri possunt [7]. Quid multa? « Dico omnia lupanaria, quae Dominus tamen severe condemnavit, homicidia, furta, caedes, adulteria minus perniciosa esse

---

[5] *Contra Henricum Regem Angliae. 1522, D. Martin Luthers Werke*, t. X, Sect. II, p. 220.

[6] *Articuli Smalcaldici*, pars II, art. II, 10, I. T. Müller-Th. Kolde, *Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche deutsch und lateinisch*, edit. 11, p. 302; *D. Martin Luthers Werke*, t. L, p. 204.

[7] *De abroganda missa privata, D. Martin Luthers Werke*, t. VIII, p. 425-426; p. 499; *Articuli Smalcaldici*, pars II, art. II, 1, t. L, p. 200; I. T. Müller-Th. Kolde, *Die symbolischen Bücher*, p. 301; edit. Erlangensis, t. XLI, p. 303.

quam hanc abominationem missae papisticae »[8]. Moderatioribus plerumque verbis, non minus infenso animo, alii quoque reformationis coryphaei, Melanchthonius, Zwinglius, Calvinus, de missa catholica dixerunt atque scripserunt[9]. Confessio Genavensis anni 1536 haec de missa profitetur: « Quoniam missa papalis res maledicta ac diabolica est ad hanc sanctam cenam evertendam instituta, nos illam exsecrari declaramus tamquam idololatriam a Deo condemnatam »[10].

Neque unquam conquievit apud Protestantes odium illud missae catholicae, sed, ut scribit hodiernus quidam theologus, missa ex iis rebus est de quibus reformatores numquam moderate disserere potuerunt[11]. Quid igitur mirum si missa romana ubicumque vicit reformatio protestantica, mox suppressa est, cum in eius locum alius ritus substitueretur.

Sed unde nata est apud protestantes vehemens illa ac perpetua missae detestatio? Generatane est odio quo tenebantur totius rei catholicae fiduciaque per missae ruinam illius quoque perniciem consequendi? Vel dolore atque ira de abusibus veris sive fictis quibus locum dabat missae celebratio? Certe etiam hae causae odii atque indignationis fuerunt. Erat tamen et est eorum sensuum altior quidam fons, id est ipsa protestantium communis doctrina pro qua negant ritum eucharisticum, qui in missa omnino praecipuus est, verum perfectumque sacrificium esse vel etiam esse posse. Ritus eucharisticus, inquiunt, e sua institutione testamentum quoddam est, seu donum a Deo per Christum hominibus datum, non e converso do-

---

8 *Sermo dominicae I Adventus 1524*, *D. Martin Luthers Werke*, t. XV, p. 774.

9 J. Paquier, *Luther, Le nouveau culte*, DTC, t. IX, p. 1304-1308; J. Rivière, *La messe. La messe durant la période de la réforme et du concile de Trente*, DTC, t. X, p. 1085-1099.

10 N. 16, E. F. K. Müller, *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche*, p. 114.

11 J. Rivière, *La messe*. Etc., p. 1099.

num ab hominibus Deo offerendum, nec praeter sacrificium semel a Christo Domino in cruce ad redemptionem nostram oblatum ullum verum perfectumque sacrificium in religione christiana esse potest; ritus igitur eucharisticus aliud non est quam sacramentum, cena, communio; neque aliter sacrificium dici potest, nisi quantum sacrificium crucis commemorat, vel per preces quibus pro ecclesiarum usu vestitur sacrificium aliquod laudis et gratiarum actionis evadit; omnis ergo missa catholica, quippe quae verum absolutumque sacrificium sacrificio crucis aequale esse velit, maxime vero missa privata, in qua solus sacerdos celebrans communicat abominanda impietas iudicanda est [12].

In primo quidem catalogo decem errorum de sanctissimo eucharistiae sacramento qui opera praesertim Alfonsi Salmeron ac Iacobi Lainez compositus [13], die 3 februarii 1547 theologorum excussioni propositus est, non memoratur error qui negat missam esse verum sacrificium [14]. Verum id fortasse ideo factum est quia iam tunc praesides concilii in mente habebant errores de sacrificio missae separate examinare et condemnare. Eidem tamen catalogo, brevibus theologorum observationibus aucto Patribusque die 6 martii 1547 proposito, addita erat altera series 11 errorum qui ab ipsis theologis 10 prioribus adiungendi et cum iis damnandi videbantur. Porro tertio huius supplementi loco, auctore Andrea Vega Ordinis minorum de observantia, memorabatur error « eucharistiam non esse verum sacrificium » [15].

Proprius autem catalogus errorum de missa non ante diem 29 iulii 1547 theologis minoribus examinandus propositus est, id est cum concilium iam amplius quattuor

---

[12] V. n. 9.

[13] Claudius Iaius, *Epistula ad s. Ignatium*, 30 ian. 1547, MHSI, *Epistolae Broetii, Iaii*, etc., p. 3. Cum iis operam navavit H. Seripandus. CTr, t. V, p. 835, n. 3.

[14] CTr, t. V, p. 869-870.

[15] CTr, t. V, p. 1007-1008; 928 20-21.

menses Bononiam translatus erat [16]. De septem porro articulis quos percensebat ille catalogus consueta diligentia a theologis disceptatum est a die 2 ad diem 22 mensis augusti [17], ab eoque tempore quaestio de missae sacrificio a quaestionibus de eucharistiae sacramento seiuncta mansit.

Prorsus retractatus valdeque auctus apparet catalogus anni 1547 in actibus alterius aetatis concilii ad diem 3 decembris 1551; numerus namque articulorum ad decem crevit [18]. His considerationi theologorum a die 7 ad diem 29 mensis decembris subiectis, spatio paucissimorum dierum et cura ipsorum praesidum primum conscripta est doctrina de sacrificio missae, cuius tamen textus nondum editus est [19]. Haec una cum decem articulis theologorumque censuris, Patribus proposita est ab iisque a die 7 ad diem 13 ianuarii 1552 perpensa [20]. Constituta die 14 subsequenti Patrum deputatione ad examinatam doctrinam aptandam et ad scribendos convenientes canones, die 18 series 13 canonum, die 20 nova doctrinae forma Patribus oblata est [21], iamque omnia parata videbantur ad solemnem decreti de sacrificio missae publicationem in proxime sequenti sessione seu XV agendam, cum praesidibus concilii opportunum visum est eam publicationem prorogare, ut interea protestantibus facultas daretur in concilium veniendi [22]. Habita igitur sessione XV, die 5 ianuarii, decretum est sessionem XVI, in qua publicarentur, praeter alia, doctrina et canones de missae sacrificio, celebrandam esse die festo sancti Iosephi, 19 martii [23]. Cum autem ad

---

16 RAYNALDUS, *Annales ecclesiastici*, 1547, LXIX; CTr, t. I, p. 677.

17 CTr, t. I, p. 678-684.

18 A. THEINER, *Acta genuina ss. oecumenici concilii Tridentini*, t. I, p. 602-603.

19 A. THEINER, *Acta genuina*, t. I, p. 603-634; 635-636.

20 A. THEINER, *Acta genuina*, t. I, p. 636-645.

21 A. THEINER, *Acta genuina*, t. I, p. 645-646; 646-647; RAYNALDUS, *Annales ecclesiastici*, 1552, III-VIII.

22 A. THEINER, *Acta genuina*, t. I, p. 648.

23 A. THEINER, *Acta genuina*, t. I, p. 651.

hunc diem pauci admodum protestantes advenissent Tridentum, sessio in generali Congregatione iterum prorogata est ad diem 1 maii [24], sed ingruente bello ante statutum diem, die 28 aprilis, celebrata in eaque concilii suspensio decreta [25]. Haec, quae ultra biennium protrahenda non erat, re vera novem annos cum ingenti christianae religionis atque Ecclesiastici cultus detrimento producta est, sessio vero XVII quae decretum resumptionis publicavit, non ante diem 18 ianuarii celebrata [26]. Brevi post medium mensem iulium, et quasi de ea re antea nihil actum esset, denique tandem instaurata est praeparatio doctrinae et canonum de missae sacrificio, cum die 19 illius mensis theologis minoribus novus propositus est 13 quaestionum seu articulorum catalogus, die vero 20 constituta deputatio novem Patrum ad canones ac doctrinam de sacrificio missae conficiendam [27]. Theologorum disputationes die 21 iulii inchoatae die 4 augusti absolutae sunt, ita ut iam die 6 eiusdem mensis Patrum iudicio proponi potuerit nova seu tertia forma doctrinae cum suis canonibus [28]. Valde haec forma a prioribus discrepare videtur; canones vero, etsi eorum numerus iam non 13 sed 12 est, alii tamen non sunt quam antiqui canones, quamvis retractati. A Patribus a die 11 ad diem 27 augusti excussa doctrina et canones denuo aptata sunt, illisque die 5 septembris proposita [29]. Ab iisdem ultimum, die 7 et 16 septembris examinata, a deputatis vero correcta, in sessione XXII demum, die 17 eiusdem mensis, publicata sunt, sex tamen Patribus contra affirmationem Christum apostolos in sua cena verbis « Hoc facite in meam commemorationem » sacerdotes constituisse reclamantibus [30].

---

[24] A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 653.
[25] A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 659.
[26] A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 676.
[27] CTr, t. VIII, p. 718-721.
[28] CTr, t. VIII, p. 722-751; 751-755.
[29] CTr, t. VIII, p. 755-788; 909.
[30] CTr, t. VIII, p. 913-956; 659-962.

Tot vicissitudinibus natum est celeberrimum illud decretum de missae sacrificio, quod omnis doctrinae theologicae de sacrificio missae fundamentum evasit vel norma[31].

Quamquam doctrina et canones concilii Tridentini praesertim, ut par est, huius sacrificalem naturam spectant, nequaquam tamen in hac consideratione consistunt, sed de missa alia complura docent quae cum ipsa illa natura magis minusve arte cohaerent. V. g., canonem missae romanae esse ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; caerimonias, vestes et externa signa quibus in missarum celebratione Ecclesia utitur non esse magis irritabula impietatis, ut loquebantur novatores, quam officia pietatis, cum talia sint quibus et maiestas tanti sacrificii commendetur et mentes fidelium ad rerum altissimarum quae in hoc sacrificio latent contemplationem excitentur; missas illas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, vere communes censeri debere, partim quod in eis populus spiritaliter communicat, partim quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur; Ecclesiae Romanae ritum quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum non esse, neque lingua tantum vulgari missam celebrari debere.

At non solum veram doctrinam de sacrificio missae docuit, declaravit et fidelibus populis praedicandam decrevit, sed abusus quoque tollere voluit qui in celebratione missae admitti solebant. Iam Bononiae in congregatione generali diei 28 novembris 1547 constituta erat deputatio quinque Patrum « ad colligendos abusus super missa, indulgentiis, purgatorio et votis monasticis »; quinam vero fuerit fructus eorum laboris documenta adhuc edita non

31 A. Michel, *La messe. La messe chez les théologiens postérieurs au concile de Trente*, DTC, X, p. 1143-1316.

dicunt[32]. Die autem 20 iulii 1562 altera constituta est commissio, septem Patres complectens, italos quattuor, germanum unum, hispanum unum, hungarum unum, quae spatio trium fere hebdomadum immensum catalogum omnis generis abusuum composuit in sex capita divisum: De missa, De celebrante et ministris, De indumentis, De loco, De tempore, De auditoribus[33]. Mirabilia utique edocemur hoc catalogo de ratione qua in compluribus regionibus missa celebrari solebat saeculo XVIº, clareque demonstratur non solum quousque improbitate ac socordia procedere possit in sanctissimarum rerum usu cupiditas et imbecillitas humana, sed immoderatione et stultitia ipse devotionis affectus, nisi hic ferreis legibus coercetur. Millies benedictae rubricae! Ecce quem modum multi sacerdotes in ritu consecrationis atque elevationis celebrando tenuisse dicantur. « Sunt qui cum ad consecrationis verba perventum est, prominenti ore, ad singulas voces, admodum cunctanter expressas, ita caput supra hostiam calicemque inclinent atque in crucis modum circumducant, subinde afflantes, ac si suis illi gestibus aliquam consecrandi virtutem illis Domini verbis attribuant, aut tota consecrationis vis in similibus istiusmodi gesticulationibus esset collocata. Alii facta consecratione hostiam utraque manu demisso capite ad occiput ita deducunt, ut ipsos capillos tremenda hostia nonnumquam attingant et capillis intricent, non sine fractionis periculo. Gravius adhuc in plerisque sacerdotibus scandalum observatum est, qui consecratum calicem ambabus manibus supra caput ita deflectunt, ut scapulas interdum attingant, cum maximo effusionis periculo ». Quidam ad patenam purificandam securius existimabant eam lingua lambere « quod actu ipso et visu indecorum est ».

Verumtamen non omnia quae Patribus deputatis reprehendenda visa sunt, re vera abusus erant; v. g., quod

---

32 CTr, t. I, p. 723^{5-8}.

33 CTr, t. VIII, p. 721; 916-921.

in offertorio panis non consecratus vocatur hostia sancta et immaculata, oblata pro vivis et defunctis, vinum non consecratum calix salutaris; quod supra hostiam fiunt tot cruces et signa, quasi aliquid desit ad sanctificationem hostiae, si illa praetermittuntur; quod in offertorio pro defunctis quaedam verba ad infernum damnatorum pertinere videntur. Quare neque hic catalogus, neque compendium quoddam eius [34] concilio propositum est, sed ab iisdem deputatis conscripta series novem canonum de abusibus circa celebrantes vel audientes missam eademque die 10 septembris Patrum censurae proposita [35]. Verum cum ab his a die 10 ad diem 13 septembris excussa esset nec tamen approbata, in eius locum substitutum est decretum unum, e tribus capitibus constans, quod totum negotium correctionis abusuum in celebratione missae Ordinariis committebat [36]: « Cum igitur, inquiebat, multa iam, sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate, irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt: ut et debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem restituatur: decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus vel irreverentia, quae ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis imitatrix, induxit ». Et in fine: « Haec igitur omnia quae summatim enumerata sunt omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedi Apostolicae prohibeant, mandent, corrigant, statuant atque ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant ». Quod decretum, cum

[34] CTr, t. VIII, p. 921-924.
[35] CTr, t. VIII, p. 926-928.
[36] CTr, t. VIII, p. 928-939; 962-963.

omnibus Patribus placuisset (die 14 septembris)[37], in sequenti sessione XXII, 17 septembris 1562, una cum doctrina et canonibus de sacrificio missae publicatum est[38].

Necessitatem missalia corrigendi et ad unum typum reducendi auctores catalogi abusuum in celebratione missae clare et non semel affirmaverant[39]: « Ut eodem ritu ubique ab omnibus res sacra peragatur, ut ecclesia Dei unius labii sit, neque ulla inter nos, etiam levissima in re, dissentio animadverti queat ... danda fortasse fuerit opera ut missalia omnia a superstitiosis et apocryphis orationibus repurgata, omni ex parte pura, nitida, integra omnibus proponantur et eadem sint, saltem inter omnes presbyteros saeculares, salvis consuetudinibus legitimis et non abusivis provinciarum ». Et iterum: « Missalia secundum usum et veterem consuetudinem S. R. E. reformentur, omnibus iis quae clanculum irrepserunt, repurgatis, ut omni ex parte eadem pura, nitida et integra proponantur, quibus de cetero celebrantes omnes uti teneantur, tam regulares quam saeculares, salvis tamen consuetudinibus legitimis et non abusivis regnorum ». Missalis tamen correctionem ipsa praestare non potuit sancta Synodus sed sicut ordinariis commisit curam abusus qui in missae celebrationem irrepserant evellendi, ita in ultima sua sessione, 4 decembris 1563, negotium missalis corrigendi iudicio et auctoritate Romani Pontificis perficiendum esse decrevit[40].

Sacrificium missae quidem propter Deum, at, inquimus, sacramenta propter homines. Utique sacrificium propter Deum, sed sic tamen ut non propter Deum solum sit, verum etiam propter homines. Nonne Christus Dominus sacrificium eucharisticum ad Dei honorem, ad nostram vero utilitatem instituit, videlicet ut ritum possideremus

[37] CTr, t. VIII, 941-942.
[38] CTr, t. VIII, p. 962-963.
[39] CTr, t. VIII, p. 917; 921.
[40] CTr, t. IX, p. 1106. Cfr. n. 4.

quo possemus Deum digne colere? Nonne sacrificium eucharisticum propitiatorium quoque est? Profecto sacramenta propter homines, sed ita ut etiam, quin praesertim, propter Deum sint. Etenim, si propter homines instituta sunt, ut iis sanctificationis suae causa uterentur, nihilo minus, si non ex divina institutione, pro divina certe voluntate, ad Deum quoque colendum adhibenda sunt. Haec est sancti Thomae doctrina, ubi docet duo posse in usu sacramentorum considerari, scilicet cultum divinum et sanctificationem hominis. Quorum primum, ait, pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum ad Deum per comparationem ad hominem. Duobus namque modis Deum colimus: vel Deo aliquid quod nostrum sit exhibendo, offerendo, promittendo, vel e contrario aliquid divinum nobis assumendo. Alterum in sacrificio fit, alterum in sacramentis; in sacrificio aliquid quod nostrum est Deo offerimus; in sacramentis aliquid quod Dei est, scilicet ipsum sacramentum, nobis assumimus [41]. Porro quoniam sacramenta per hominum operam ab ipsa Ecclesia assumuntur, non sunt illa actus divini cultus dumtaxat, sed actus cultus divini publici seu liturgici, et quoniam praeterea actus ille divini cultus qui in re aliqua divina assumenda consistit, eo perfectior est quo divinior ea res, mirum certe non est primum post augustissimum missae sacrificium locum sacramentis dandum esse, primum vero inter sacramenta sanctissimo eucharistiae sacramento. Cum enim in omni sacramento per ritum sacramentalem gratiam assumamus, utpote quam omne sacramentum contineat, in sacramento eucharistiae eam gratiam assumimus, ipsum corpus et sanguinem Domini una cum eius anima, eiusque divinitate assumendo.

Ipsum igitur liturgicum cultum afficiebant omnes protestantium errores de sacramentis, praesertim ii qui ad ipsam eorum naturam pertinebant. Nonne multo minus

---

41 V. n. 1.

divinum atque ad Deum colendum minus efficiens dicendum est sacramentum quod signum tantum est externum acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, quam sacramentum quod gratiam continet? Multo minus divinum atque efficiens sacramentum in quo Christus ut in signo vel figura aut virtute dumtaxat adest, quam sacramentum quo continetur vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Iesu Christi, seu Christus totus? Multo minus divinum atque efficiens sacramentum quod ab Ecclesia, quam illud quod ab ipso Domino institutum est? Sacramentum quod efficientiam suam ab hominis imbecillis ac peccatoris maiore vel minore sanctitate accipit, quam sacramentum quod ex opere operato gratiam confert? Sacramentum quod ad salutem necessarium est, quam sacramentum superfluum vel omnibus plane liberum? Nonne multo minus locuples atque efficiens est cultus qui pro septem sacris ritibus quibus divinum quid infallibiliter assumitur, duo vel tria tantum complectitur?

Ipsum quoque cultum liturgicum integrum inviolatumque servavit Tridentina synodus cum contra protestanticos errores veritatem septem sacramentorum defendit simulque abusus qui in eorum celebrationem invaserant sustulit. Et quanto studio, quanta diligentia, quanta prudentia, etsi perpetuis et periculosissimis procellis iactata, utrumque egit. Exceptis decem sessionibus quae progressum atque ordinem ipsius concilii tantum spectarunt [42], sessionibus duabus in quibus publicata sunt decreta de sacrificio missae et de librorum delectu [43], congregationibus in quibus de residentia vel reformatione generali actum est, ceterae omnes sessiones a VIIa usque ad XXIVam, congregationesque eiusdem temporis, id est fere tota concilii opera a die 29 ianuarii 1547 usque ad diem 11 novembris 1563, Tridenti primum, deinde Bononiae, iterum

[42] Sessiones VIII-XII; XV-XVII; XIX-XX.
[43] Sessio XVIII.

Tridenti, doctrinae fidei de septem sacramentis declarandae ac tutandae, illorumque administrationis abusibus corrigendis dedita est.

Ordo in parandis doctrinis et dogmaticis canonibus, qui etiam in decretis de sacrificio missae servatus est, hic erat. Primum a viris aliquot ad hoc a praesidibus delectis e scriptis novatorum vel aliis certis fontibus principales quidam errores colligebantur, qui articuli dicebantur. Hi postquam Patribus propositi erant, a theologis minoribus examinabantur, quinam vere haereseos condemnandi essent, et num iis alii adiungendi essent. Deinde una cum theologorum censuris ac sententiis a Patribus quoque perpendebantur; quod tamen inde a praeparatione decreti de usu eucharistiae, tempori parcendi causa omissum est [44]. Post excussos articulos, Patribus aliquot deputatis cura committebatur doctrinam et canones componendi. Haec quoque in congregationibus privatis a praelatis theologis et in generalibus a cunctis Patribus examinabantur, et pro eorum censuris iterum atque iterum a deputatis aptabantur, dum ad formam perveniretur, quae, quantum fieri poterat, omnibus satisfaceret. Quae tandem in sessione publicabatur.

Summae illius diligentiae quam concilium in munere suo definiendi rectam de sacramentis doctrinam tenuerit exemplum sit praeparatio doctrinae et canonum dogmaticorum de sacramento matrimonii. Iam Bononiae anno 1547 a die 26 aprilis ad 7 maii et a die 7 augusti ad 7 novembris, illis opera data est [45], deinde Tridenti in tertia concilii periodo a die 4 februarii 1563 ad diem 22 martii et denuo a die 20 iulii ad diem 10 novembris [46]. De iis habitae sunt minorum theologorum congregationes 44, prae-

---

[44] CTr, t. VIII, p. 617-618. Exceptio tamen admissa est de duobus articulis ad matrimonium pertinentibus, CTr, t. VIII, p. 686-687.

[45] CTr, t. I, p. 645-649; 679-717.

[46] CTr, t. IX, p. 380-470; 639-964.

latorum theologorum 5, Patrum congregationes generales 53. Doctrina et canones quinquies retractata sunt [47].

Verum specialissimo modo cum liturgico cultu coniungitur sacramentum ordinis. Etenim, ut decernit ipsa sancta synodus, « sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in novo testamento sanctum eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium » [48]. Per alios autem ecclesiasticos ordines, et maiores et minores, velut per gradus quosdam in ipsum sacerdotium tenditur [49]. At si praecipuum catholici sacerdotis munus est sacrificium eucharisticum Deo afferre, eius quoque est, ut docet sanctus Thomas, Dei colendi causa sacramenta assumere atque hominibus tradere. Cum ad illud tum ad hoc agendum charactere sacro ornatur, qui est sacerdotii Christi participatio [50].

Iam vero de nullo sacramento sancta Tridentina synodus maiore diligentia egisse videtur quam de ordine. De eo quoque iam Bononiae a die 26 aprilis anni 1547 ad diem 7 maii et a die 21 iulii ad 26 augusti tractari coeptum est [51]. Eidem denuo, et simul etiam missae sacrificio, operam suam navavit concilium a die 3 decembris 1551 ad diem 19 ianuarii subsequentis anni [52]. Ultimum de eo egit in tertia sua aetate, a die 19 septembris 1562 ad diem 1 februarii 1563 [53]. Doctrina et dogmatici canones de sacramento ordinis in decies prorogata sessione XXIII, die 15 iulii 1563, publicata sunt [54], postquam magno studio

47 CTr, t. I, p. 691; t. IX, p. 639-640; 682-683; 760-761; 888-889; 966-968.
48 CTr, t. IX, p. 620.
49 CTr, t. IX, p. 621.
50 V. n. 1.
51 CTr, t. I, p. 645-649; 674-677; 682-686.
52 A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 603-647.
53 CTr, t. IX, p. 3-36; 110-241.
54 CTr, t. IX, p. 620-623.

multiplicique opera, rogata quoque Sedis Apostolicae sententia, in innumeris colloquiis, in congregationibus particularibus theologorum minorum 47, theologorum praelatorum 7, in congregationibus generalibus Patrum 61, per adversitates, machinationes, aemulationes, contentiones, intermissiones, praeparata, excussa, quinquies retractata sunt [55].

Ad cultum quoque liturgicum imprimis refertur quaestio de usu eucharistiae seu de communione sub utraque specie et de communione infantum neophytorum. Spectat namque haec tota ad modum assumendi sacramentum eucharistiae, in qua assumptione sita est, secundum sanctum Thomam, ipsa ratio cultus divini. Quamquam enim fide credendum est totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, et etiam si probabilius existimandum est non minorem gratiam sub alterutra specie quam sub utraque accipi, restat tamen ipsum sacramentum perfectius hoc modo quam illo assumi. Decreto autem suo parvulos nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem effecit concilium ut ecclesiae catholicae quae integrum initiationis ritum, e sacramentis baptismatis, confirmationis atque eucharistiae constantem, etiam in initiandis parvulis adhibebant, illum quasi fastigio suo privarent, tollentes ex eo eucharistiam.

De communione sub utraque specie et de communione parvulorum primum tractatum est cum ipso eucharistiae sacramento Tridenti a die 3 ad 19 februarii 1547 [56]. Cum autem in synodo Bononiensi iterum de eucharistia agendum fuit, a die 8 ad 31 maii 1547, in canonibus formandis omissus est articulus qui ad illam quaestionem pertinebat, « quia, aiebat praeses, theologi in eo varii fuerunt, licet omnes quoad sacramentum — rectius: quoad rem et sa-

[55] CTr, t. I, p. 674; 685; A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 635; 646-647; CTr, t. IX, p. 38-43; 105-110; 226-241; 620-622.
[56] CTr, t. V, p. 869-961.

cramentum — concordaverint, quod videlicet tantum sacramenti sub una specie sumatur, quantum sub utraque, sed quoad gratiam non adeo concordarunt, cum aliqui voluerint plus gratiae sumi sub utraque quam sub una specie, aliqui vero contrarium senserunt »[57]. Nihilo minus, cum die 2 septembris 1551, instaurata est praeparatio decreti de sacramento eucharistiae, theologis propositi sunt examinandi articuli decem ad conclusiones primae eorundem theologorum excussionis aptati; octavus autem erat: « De iure divino esse sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare »[58], eique oppositi sunt in prima canonum forma, canon 8, 9 et 10[59]. At Patres aliter senserunt quaestionemque de communione sub utraque specie et de communione parvulorum a quaestione de ipso eucharistiae sacramento seiungendam esse die 10 octobris 1551 decreverunt[60].

E quinque articulis de usu eucharistiae die 6 iunii 1562 theologis minoribus propositis, post 22 eorum congregationes, confecti sunt canones 4 dogmatici, cum duo articuli de oportunitate usus calicis cuiquam aliquando concedendi integri manerent[61]. Qui canones opera Patrum, 13 habitis congregationibus generalibus et 22 votis scripto datis[62], quater retractati et propria doctrina aucti, denique in sessione XXI, die 16 iulii 1562, publicati sunt[63]. De articulis vero aliae Patrum congregationes generales 20, vota scripta 38 fuerunt[64]; quorum conclusio fuit decretum quoddam, die 16 septembris 1562 Patribus propositum, quo totum negotium ad Summum Pontificem referebatur, quodque ab iis examinatum ac retractatum in sessione

57 CTr, t. I, p. 649-657.
58 A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 488-489.
59 A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 520.
60 A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 527-528.
61 CTr, t. VIII, p. 529-618.
62 CTr, t. VIII, p. 633-691
63 CTr, t. VIII, p. 618; 652; 653-654; 685-687; 698-700.
64 CTr, t. VIII, p. 788-954.

XXII tandem, die 17 septembris 1562, una cum decreto de missae sacrificio, publicatum est[65].

Sicut de missa igitur, ita etiam doctrinae canonesque dogmatici de sacramentis praesertim horum naturam spectant. Verum tamen multum abest ut in hac definienda se contineant. Immo alia plurima de iisdem sacramentis docent; v. g., receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos neque contemni, neque sine peccato a ministris pro libitu omitti, neque in novos alios a quolibet ecclesiarum pastore mutari posse; sacram unctionem qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, requiri, nedum contemnenda sit et perniciosa; etiam sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuendam esse; licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare. Quae omnia ad sacramenta etiam, quin praecipue, ut sunt actus cultus pertinent.

Opus abusus evellendi quibus, sicut missa, septem quoque sacramenta subiacebant, magno atque indefesso labore synodus Bononiensis non solum inchoavit sed, excepta decretorum publicatione, complevit, operam consueto modo navantibus praesidum deputatis, theologis canonistis, praelatis iuris peritis, ceterisque Patribus[66]. Huius tamen operis neque in altera neque in tertia concilii aetate multum ratio habita esse videtur, de duorumque dumtaxat sacramentorum abusibus, ordinis et matrimonii, decreta demum lata sunt.

Etenim canones de abusibus ordinis, una cum doctrina et canonibus dogmaticis, in sessione XXIII, die 15 iulii 1563, publicati sunt[67]; canones de abusibus matrimonii, item cum doctrina et dogmaticis canonibus, in sessione XXIV, die 11 novembris eiusdem anni[68]. Ad canones

---

[65] CTr, t. VIII, p. 943; 949-962; 952-953; 968.

[66] Raynaldus, *Annales ecclesiastici*, 1547, LXX; LXXII-LXXVI; CTr, t. I, p. 662-663; 676; 681; 687-688; 690; 703-707; 709-728; 731-741.

[67] CTr, t. IX, p. 623-630.

[68] CTr, t. IX, p. 968-971.

illos de abusibus parandos nulla series articulorum proposita est neque ulla theologorum opera adhibita, sed ipsi canones a deputatis Patribus conscripti ceteris Patribus in congregationibus generalibus proponebantur et ab his examinabantur. De canonibus ad ordinem spectantibus habitae sunt congregationes generales 40,3 vota scripto data [69]. Iidem bis retractati sunt [70]. Maxime autem nobis animadvertendus est canon 17: « Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur ... sancta Synodus decernit ut in posterum huiusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortetur et illis praecipit, ut, quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituendas ». Pro huius decreti eventu censendum est hanc hierarchiae ordinis instaurationem, quae tamen non parum dignitati, veritati et, ut ita dicamus, convenientiae cultus liturgici favebat, paucis admodum locis commode fieri et continuari potuisse. Neque facile intellegitur quomodo congruat cum doctrina ceteros ordines, maiores et minores, esse quasi gradus ad sacerdotium. Gradus non constituuntur, ut in iis sistatur.

De sacramentis minoribus quae hodie parum accommodate sacramentalia vocantur et, servata proportione, eodem modo quo sacramenta maiora actus cultus liturgici sunt, nihil quantum novimus, decrevit concilium. Ex iis tamen quae de missae maiorumque sacramentorum caerimoniis canonibus suis dogmaticis statuit, deduci potest

---

[69] CTr, t. IX, p. 477-630.
[70] CTr, t. IX, p. 477-485; 592-601; 627-630. De retractationibus decreti *Tametsi*, ibid., p. 640; 683-685; 968-971.

quid nobis ad eius mentem de minoribus illis sentiendum sit.

Quod autem de officiis ac processionibus, quae dicuntur, de annuis commemorationibus mysteriorum ac sanctorum, de aliis solemnibus exercitationibus concilium brevissime tantum et quasi obiter egit, etsi haec quoque omnia novatores summa vi atque industria impugnabant, hoc ea de causa factum est quod non solum ea ceteris minoris sunt momenti, verum etiam quia Patrum animos urgebat studium concilii conclusionem, quantum fieri potrat, maturandi. Omnia namque decreta quae huc spectant in sessione XXV^a atque ultima, die 3 et 4 decembris 1563, lata sunt; decretum de purgatorio et de animis ibi detentis fidelium suffragiis iuvandis; decretum de breviario Romani Pontificis iudicio atque auctoritate corrigendo et vulgando; decretum de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum, et de sacris imaginibus; decretum de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis[71].

Cultus liturgicus quo Dominus Ecclesiam suam donavit, alius quam perfectissimus esse non poterat. Est ergo cultus vere divinus, id est talis qui, ut ait sanctus Thomas, homines ad solum Deum ordinat, non ad se ipsos, ut tenebant novatores. Est publicus, quia vere ab universa Ecclesia, ut haec est societas ab ipso Domino condita, licet per personas ad hoc legitime delegatas, exercetur. Est ritualis, et id non ob additas tantum ei quasdam caerimonias, sed per ipsam suam substantiam, id est ex ipsa natura sua et divina vel ecclesiastica sua institutione. Est multiplici modo sacerdotalis: quia praecipuus eius actus, sacrificium eucharisticum, perfici non potest nisi a sacerdotibus, Christo, Ecclesia, ministro; quia pleraque sacramenta vel sacramentalia non conficiuntur nisi a sacerdotibus; quia solemnis baptismi celebrationis, administrationis communionis sacerdos tantum ordinarius minister est; quia munera ministrorum ceterorum tamquam gradus

[71] CTr, t. IX, p. 1077-1079; 1106.

sunt per quos ad sacerdotium ascenditur; quia sicut in actibus cultus liturgici exsequendis sacerdos praecipuus vicarius Christi, ita praecipuus Ecclesiae delegatus est; quia etiam simplices fideles ad cultum non deputantur, nisi sunt per characterem baptismalem sacerdotii Christi participes facti. Cultus liturgicus synaxalis est, id est a communitate hierarchica ita agendus, ut actio omnium praesentium communis sit atque appareat, simulque cum hierarchica eiusdem communitatis constitutione plene congruat. Est unus per universam catholicam ecclesiam, non solum ritibus suis substantialibus, sed tota sua constitutione et ordinatione; stabilis, quia constat praesertim e ritibus ab ipso Domino vel ab apostolis vel ab Ecclesia institutis.

Quod autem nobilissimus ille cultus saeculo XVI non in pluribus regionibus perierit et ipsa cum eo, hoc Ecclesia catholica sine dubio magnam partem concilio Tridentino debet.

At consilium nostrum non est de opere tantum quodam liturgico a concilio Tridentino praeclare perfecto disserere, sed de eius opera liturgica. Liturgiam etenim concilium non tantum contra protestantium errores et catholicorum abusus defendit, sed illam vixit et vixit tanto studio atque assiduitate, tanta frequentia et magnificentia, ut ipsius liturgiae papalis maiestatem non uno modo superavisse dicendum sit. Tridenti et Bononiae non Ecclesia magistra tantum ac gubernatrix, sed sacerdos quoque perpetuo adfuit et egit.

Amplissimis atque splendidissimis caerimoniis circumdabatur imprimis unaquaeque sessio. Ecce, secundum Acta, quo ritu celebrata sit sessio prima seu apertionis concilii die 13 decembris anni 1545 [72].

Mane inter primam et secundam horam diei — id est hora nostra circiter nona cum dimidia — convenerunt in aede sanctissimae Trinitatis in civitate Tridentina ipsi reverendissimi

[72] CTr, t. IV, p. 515-517.

et illustrissimi domini praesidentes et legati — de Monte, Cervino, Pole — necnon reverendi patres et praelati venerabilesque viri ecclesiastici — quorum nomina sequebantur — et exinde acceptis pluvialibus, mitris ac paramentis consuetis, et incepto a cantoribus hymno *Veni creator Spiritus,* etc., praecedentibusque ecclesiae cathedralis canonicis et capellanis, aliarumque ecclesiarum sacerdotibus, religiosis et clericis, et comitantibus nobilibus et popularibus, maxima cum devotione accesserunt ad eandem ecclesiam cathedralem. In huius loco eminentiore ac parte superiore ad celebrandum concilium et sessiones habendas parata inprimis cardinalis de Monte, primus praesidens et legatus, cantavit missam solemnem de Spiritu sancto, qua completa conversus ad populum dixit alta voce haec verba: « Ex speciali privilegio Apostolico conceditur omnibus his interessentibus indulgentia plenaria in forma ecclesiae consueta; rogate Deum pro pace et unione sanctae matris Ecclesiae ». Deinde ab episcopo Bituntino — Cornelio Musso — pluviali et mitra induto habita est oratio « satis pia et luculenta ».

Post orationem completam, praesidentibus et legatis ac cardinali Tridentino — Madruzzo — habentibus sandalia, pluvialia et mitras cardinalitias, omnibusque aliis praelatis similiter pluvialia ac mitras, postea quam unusquisque in loco suo iuxta tempus suae promotionis, consedit, primus praesidens, relicto loco suo, ante altare maius in faldistorio consedit, ad synodum conversus, statimque Pompeius de Spiritibus, magister caeremoniarum concilii ait: « Silentium ». Cumque paululum omnes quievissent, diaconus sacris indutus, a dextris praesidentis permanens, dixit alta voce: « Orate ». Moxque ipse praesidens et ceteri omnes, genibus flexis detectisque capitibus, versi ad altare oraverunt, surgensque praesidens, ceteris prostratis permanentibus, legit alta voce hanc orationem: « Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos et esto nobiscum et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personae corrumpat; sed iunge nos efficaciter tibi solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, sed in nullo aberremus a vero. Quatenus in nomine

tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic in nullo a te dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna ». Cantores responderunt: « Amen ». Deinde subdiaconus a sinistris praesidentis surgens, versus ad synodum dixit: « Erigite vos », et omnes surrexerunt. Postea a cantoribus decantata est antiphona: « Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine ». Iterumque diaconus versus ad patres dixit: « Orate », et similiter omnes procubuerunt et aliquantulum orarunt secrete. Surgens autem subdiaconus a sinistris iterum dixit: « Erigite vos », omnesque surrexerunt. Tunc, omnibusque sic stantibus, praesidens, deposita mitra, dixit subsequentem orationem: « Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paracletus qui a te procedit, illuminet et in omnes, sicut tuus promisit Filius, inducat veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus », etc., cui cantores responderunt: « Amen ». Ea finita, denuo omnes genu flexerunt, duoque ex cantoribus cantarunt laetanias more romano, reliquis cantoribus alta voce, ceteris cunctis secrete respondentibus. Cumque cantores illi duo pervenissent ad illum versiculum: « Ut domnum apostolicum », etc., praesidens, surgens cum mitra et ad patres versus, benedixit synodum his verbis: « Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere digneris », quibus omnes responderunt, cantores alta, praelati summissa voce: « Te rogamus, audi nos ». Deinde praesidens iterum benedixit synodum dicens: « Ut hanc sanctam synodum et omnes gradus ecclesiasticos benedicere et regere digneris », similiterque responsum est: « Te rogamus, audi nos ». Tertio tunc praesidens synodum benedicens ait: « Ut hanc sanctam synodum benedicere, regere et conservare digneris », omnesque item responderunt: « Te rogamus, audi nos ». Postea procumbente iterum praesidente, laetaniae a cantoribus perfectae sunt.

Absolutis laetaniis, omnes surrexerunt et praesidens, detecto capite, versus ad altare, dixit: « Oremus ». Tunc, postquam diaconus a dextris dixit: « Flectamus genua », subdiaconus vero a sinistris: « Levate », praesidens hanc pronuntiavit orationem: « Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata hostili nullatenus incursione perturbetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia », etc. Mox diaconus, accepta a praesidente be-

nedictione, post impositum ab hoc incensum, solito ritu cantavit evangelium secundum Lucam cap. 10, « Designavit Dominus et alios septuaginta duos », etc. Quo cantato omnes legati et cardinalis Tridentinus suo ordine librum osculati sunt. Deinde ceteri duo legati e loco, ubi sacra audiverant, iverunt et ipsi ad altare maius, ante quod consederunt in faldistoriis suis, alter a dextris, alter a sinistris cardinalis de Monte. Qui, cum paululum omnes quievissent ac surrexissent, capite detecto, incepit hymnum « Veni creator Spiritus ». Quo solita ratione cantato idem praesidens, post versum: « Emitte Spiritum tuum et creabuntur », huiusque responsum: « Et renovabis faciem terrae », cantavit orationem: « Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum ». Postremo duo cantores dixerunt: « Benedicamus Domino » et ab aliis responsum est: « Deo gratias ». Quibus caerimoniis peractis ceteri omnes suis in locis resederunt, praesidentes vero et legati in suis faldistoriis ante altare maius permanserunt.

Absoluta vero decretorum publicatione, cardinalis de Monte manu elevata iterum synodum signo crucis benedixit cantatusque est a cantoribus hymnus « Te Deum laudamus ». Post quem omnes, depositis paramentis, « discesserunt, magnum gaudium prae se ferentes et se invicem osculantes et Deo gratias agentes».

Idem plane ritus servatus est in altera resumptione concilii, id est in sessione XVIII, die 18 ianuarii 1562, nisi quod prior conventus non in ecclesia Sanctissimae Trinitatis sed Sancti Petri locum habuit[73]. In ceteris omnibus sessionibus idem quidem fuit caerimoniarum ordo, omisso tamen priore conventu, cantu *Veni creator* et processione ad cathedralem, missa vero non a cardinali praeside sed ab episcopo aliquo celebrata[74]. In una quaque autem sessione proprium quoddam evangelium cantatum est, quod fortasse cum materia decretorum congrueret.

Initio congregationis generalis recitabatur a praeside oratio *Adsumus, Domine*[75].

---

73 CTr, t. VIII, p. 289-290.
74 CTr, t. IV, p. 547-548; p. 579; etc.
75 CTr, t. IV, p. 533; etc.

Ex articulis ad concilium ordinandum a cardinale praeside in prima congregatione generali, die 18 decembris 1545, propositis, secundus erat « ut episcopi et sacerdotes saltem semel in hebdomada celebrent missam », quartus « ut statuatur dies ad celebrandam missam in qualibet hebdomada in collegiatis ecclesiis cum aliqua indulgentia pro celebrante et interessentibus, prout servatum fuit in recentioribus conciliis ». Utroque articulo ab omnibus patribus approbato, missae pro concilio celebrandae assignata est feria V. Primum quidem consilium fuerat novam quandam missam cura duorum generalium ordinum in hunc usum componere, sed in sessione II, die 7 ianuarii 1545, decretum est celebrandam esse missam de Spiritu sancto, idque in ecclesia cathedrali, cum laetaniis et aliis orationibus ad hoc institutis; in ceteris vero ecclesiis eadem die dicendas esse ad minus laetanias et orationes. Addebat porro decretum: « Tempore autem quo sacra peraguntur, collocutiones et confabulationes non fiant, sed ore et animo celebranti assistatur ». Episcopi et sacerdotes concilium concelebrantes missam, quantum fieri poterat, saltem unoquoque die dominico offerre debebant [76].

Omnia praecipua anni liturgici festa ac solemnia: festum Nativitatis Domini, sancti Stephani, sancti Ioannis Evangelistae, Circumcisionis, Epiphaniae, Purificationis Beatae Mariae Virginis, solemnia feriae IV Cinerum et tridui sacri, festum Paschatis cum duobus subsequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus item subsequentibus feriis, Corporis Domini, Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, festum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, Commemoratio Omnium Defunctorum, conciliariter celebrabantur [77]. In festi vigilia primae vesperae solemni ritu

[76] CTr, t. IV, p. 533; 539; 540-541; 554-55.

[77] Die 8 decembris in festo Conceptionis beatae Mariae virginis a congregationibus vacabatur. Non tamen missa conciliariter celebranda erat. Bononiae vero a die 3 februarii 1548 a

a cardinali aliquo vel episcopo canebantur; ipso vero die fiebat cappella, id est missa pontificalis a cardinali quoque vel episcopo celebrabatur, cui omnes, praesides et legati, cardinales, oratores principum, patres, officiales, nobiles et barones et saepe etiam theologi eodem ordine quo in concilii sessionibus aderant. Ceteris diebus eodem modo fiebat.

In illa missa plerumque oratio habebatur ab uno e patribus vel theologis.

Primum festum ita a concilio celebratum fuit Nativitas Domini [78]. Primas vesperas in cathedrali ecclesia celebravit cardinalis a Sancta Cruce seu Marcellus Cervino. Adfuerunt tres legati, cardinalis Tridentinus Madruzzo et 23 praelati. Inter quattuor praelatos absentes erat Giennensis episcopus, qui nuper creatus erat cardinalis sed nondum biretum acceperat; in publicum autem iam prodire nolebat, nisi cardinalitia veste indutus. Missam pontificalem ipsius diei festi, id est missam in die, cantavit idem cardinalis Cervino, praesentibus, praeter tres legatos et cardinalem Tridentinum, 25 praelatis. Duabus prioribus missis vero legati non adfuerunt, neque praelati, paucis exceptis qui id ex devotione egerunt.

Quae ratio etiam ceteris annis servata est, ob incommoditatem loci et temporis — vigebant enim tunc ingentia frigora — et praelatorum [79]. Eodem fere modo, exceptis tamen vesperis et oratione, celebrabantur anniversaria creationis et coronationis Summi pontificis [80]. Benedictio et distributio candelarum die 2 februarii, palmarum die dominica ante pascha, benedictio et impositio cinerum in capite ieiunii quadragesimalis, processiones candelarum

---

cappellis cessatum est « ob suspensionem factam — iussu Summi Pontificis — quoad processum concilii ad aliquem actum conciliarem ». CTr, t. I, p. 744; 754; etc. Quam synaxales, quam liturgicae missae illae ceteraeque caerimoniae conciliares!

78 CTr, t. I, p. 359-360; t. IV, p. 540.

79 A. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 632.

80 CTr, t. I, p. 579-; 710.

et palmarum, processiones feriae V in Cena Domini et feriae VI in parasceve a primo praeside celebrari solebant. Maxima autem pompa ac devotione agebatur processio sanctissimi Sacramenti die festo Corporis Domini. En, teste Angelo Massarello, qua ratione celebrata sit a patribus concilii Bononiensis anno 1547[81]: « Fuit facta processio solemnis. Mane igitur hora 10 cum dimidia — hora nostra 6 — convenerunt reverendissimi et illustrissimi domini cardinales de Monte et Sanctae Crucis, sacri concilii praesidentes et legati, una cum praelatis — erant 36 — et dominis confalonerio et prioribus ac aliis magistratibus civitatis Bononiensis in ecclesia divi Petronii, ubi celebravit missam solemnem reverendissimus dominus archiepiscopus Corcirensis. Qua finita, reverendissimi domini legati et omnes patres acceperunt pluvialia et mitras; deinde reverendissimus dominus cardinalis de Monte, primus praesidens, accepit tabernaculum in quo erat sacra eucharistia, quam semper gestavit in processione; quae hoc ordine procedebat. Ante omnes ibant societates saeculares, post quas clerus et religiones secundum eorum ordines, post canonici Sancti Petri, quae est ecclesia cathedralis Bononiensis; ferebatur crux reverendissimorum legatorum, ante quam praecedebant cantores concilii. Post crucem ibant doctores collegii Bononiensis, deinde officiales concilii ...; deinde praelati concilii immediate. Post quos erat reverendissimus dominus cardinalis Sanctae Crucis secundus legatus, qui ibat medius inter episcopum Satrianum, gubernatorem civitatis Bononiensis et confalonerium civitatis ... Deinde sequebatur immediate reverendissimus dominus cardinalis de Monte qui ferebat sacramentum in manibus sub umbraculo e tela aurea, quod gestabant nobiles secundum eorum gradum ». Post alios complures magistratus studii et civitatis atque officiales gubernatoris, sequebantur « alii nobiles secundum eorum praecedentias et di-

81 CTr. t. I, p. 661-662.

gnitates, et denique populus, mulieres, etc. ». Quaenam autem fuerint cetera haec, quae post mulieres incedebant, documenta non dicunt. Absoluta processione repositum est sacramentum in altari maiore ecclesiae Sancti Petronii.

Cerei autem ex cera alba omnibus praelatis et officialibus dati erant sumptibus concilii, id est Sanctae Sedis, quae omnes concilio necessarios sumptus ipsa suppeditabat. Qui cerei restituendi non erant.

Singulis quoque dominicis adventus et quadragesimae missa conciliaris celebrabatur, cum oratione a praelato aliquo vel theologo habenda. Concesserant autem Summi Pontifices omnibus visitantibus in forma ecclesiae consueta quasdam ecclesias civitatis Tridentinae, omnibus diebus quadragesimae usque ad dominicam in albis inclusive aliisque diebus quibusdam, eas indulgentias, quas consequerentur, si visitarent ecclesias in Urbe et extra Urbem pro stationibus deputatas[82].

Nec defuerunt etiam singulares occasiones missae conciliaris celebrandae. Ita, v. g., post victoriam Caroli imperatoris de foederatis Smalcaldensibus, die 22 maii 1547; post obitum Annae reginae Hungariae, die 8 februarii 1547; post obitum Francisci I regis Galliae, die 20 maii 1547; pro creatione et coronatione Maximiliani regis Romanorum, die festo Conceptionis B. Mariae Virginis, 8 decembris 1562; in funeribus cardinalis Herculis Gonzagae et cardinalis Hieronymi Seripandi, concilii praesidum et legatorum, die 3 et 19 mensis martii 1562[83].

Sicut sollemnes eius sessiones, sic etiam missae conciliares gravissimis de ordine in iis sedendi inter principum oratores contentionibus occasionem dederunt. Acerrimus ex iis conflictibus accidit die 29 iunii 1563 inter oratores regis Galliae et oratorem regis Hispaniae[84]. Scandalosis autem illis casibus, quantum fieri poterat, praeca-

---

[82] CTr, t. I, p. 617; t. VIII, p. 346-347; t. IX, p. 420, nota 9.
[83] CTr, t. I, p. 653; 654; 610; 654; t. IX, p. 219; 425; 461-462.
[84] CTr, t. III, p. 674-679; t. II, p. 568; 684; 861.

vendi causa, decreverat Summus Pontifex Pius IV, ut in sessionibus primus locus post oratores imperiales, pro recepta consuetudine, oratoribus regis Galliarum servaretur, oratoribus vero regis Hispaniarum locus separatus concederetur e regione illorum, inter cardinales et patriarchas; in caerimoniis autem liturgicis duo adhiberentur turibula duoque pacis instrumenta, ita ut simul utriusque regis oratores turificarentur, iisque simul pax offerretur. Cum igitur instaret dies festus sanctorum apostolorum Petri et Pauli, dubiumque esset utrum necne orator Hispanus, qui erat comes de Luna, missae celebrationi adfuturus esset, iusserat praeses primus, cardinalis Moronus, caerimoniarium sedem unam in sacristia paratam habere duoque turibula ac pacis instrumenta. Ipso autem die festo, cum iamiam instaret hora missae, nec tamen orator Hispanus ullum consilium manifestasset celebrationi missae assistendi, spem conceperant legati fore ut omnia sine offensa ac perturbatione peragerentur. « Verum — abhinc Gabrielis Paleotti narrationem referimus — paulo antequam in capellam prodeant, illis significat (comes de Luna) constitutum sibi esse eo mane capellae interesse cupereque ut debita sibi officia impendantur. Incredibilis tum animi cura legatos occupat. Quoniam tamen progrediendum erat, spem capiunt ex taciturnitate, ut minori tumultu res possit succedere, quae omnibus occulta erat. Missa inchoatur. Advenit orator Hispanus — cum *Gloria in excelsis* cantabatur —, cui locus datur ex latere legatorum subsellio praeparato ante sedes patriarcarum, fere e regione aliorum oratorum laicorum. Mirantur omnes eo adveniente, existimant tamen rem ex composito cum Gallis geri. Galli nihil loci eius assignatione laeduntur, cum extra ordinem esset ipsique suum antiquum iuxta oratores Caesareos retinerent. Tum cardinalis Lotaringius sciscitari incipit a legatis proximis, quid tandem agendum sit in thuribulo et pace offerenda. Illi mussitant atque eum ad Moronum reiciunt. Moronus servandum morem Germaniae (ait), ut

duo thuribula adhibeantur, alterum dextro cornui ecclesiae, alterum sinistro inserviat. Lotaringius acriter renuit, resque ad oratores Gallicos perfertur. Illi indignantur, fremunt, multaque minari incipiunt. Legati ubi rem quiete transigi non posse vident, varia consilia incipiunt proponere, ne sacrum perturbetur: vel ut neutri ex oratoribus thuribulum ministretur, vel solis legatis et non aliis duobus cardinalibus detur, vel aeque omnibus offeratur. Nec Galli nec Hispanus acquiescit, immo Hispanus in eo persistit ut legati iussa pontificia exequantur. Quare legati et alii duo cardinales in sacristiam interiorem ad rem tractandam secedunt, cum iis oratores Caesarei, Polonus, Galli, tum etiam Senonensis, Aurelianensis, Grannatensis. Interim in ecclesia sermo habebatur.

Lotaringius et Galli oratores mandata regia legatis ostendunt, ut si quid huiusmodi succedat, hinc statim discedant atque ab oboedientia Pii IV durante eius pontificatu deficiant; addunt plura verba querimonia plena. Interponunt se oratores Caesarei et reliqui, sed frustra. Granatensis Hispanum adit aitque vereri se ne quid hinc calamitosum publice prodeat, quod rex Hispanus sit detestaturus. Hispanus respondet nihil sibi a rege suo mandatum quod possit tumultum parere; verum id papae praeceptum esse, cui legati debent obtemperare. Polonus deficiente Gallia ait de regno suo prope actum dici posse. Madrucius: velle se ante concilii auxilium implorare et singulorum Patrum sedes adire, quid tandem de hac re iudicent. Re ita perturbata initur consilium eo die nec thuribulum nec pax cuiquam, etiam nec legatis ipsis offeratur. Acquiescunt Galli et Hispanus ... Missa peracta magnaque omnes animi suspensione liberati.

Multum tamen abfuit ut illo artificio ipsa controversia solveretur.

* * *

Non raro accidit ut dies continuis turbinibus, imbribus, fulguribus, tonitruis exagitatissimus in vesperum exeat mirae tranquillitatis, serenitatis atque splendoris, in hominum vero animis diu metu atque horrore turbatis, mox suavissimus quidam pacis et laetitiae sensus subeat. Talis fuit post innumeras minacissimasque procellas, quas nostrum non erat enarrare, concilii Tridentini finis, die 4 decembris 1563 [65].

Approbato ab omnibus patribus decreto de concilii conclusione, « hic satis explicare non possem, inquit idem Paleottus, quanta animi laetitia omnes exultarent vereque Deum tot bonorum authorem agnoscerent atque ei gratias agerent. Vidi ego in media ipsa sessione permultos gravissimos praelatos prae gaudio lachrymas fundentes invicemque gratulantes, qui antea inter se alieniores videbantur. Ubi vero ad acclamationes ventum est, quae multis ad eam usque horam et novae et inopinatae acciderunt, tum ingens omnium admiratio, plausus laetitiaque exorta est. Nemo erat qui non vultu, verbis totoque corpore summam hilaritatem significaret, Deum laudantes, cui honor, virtus et gloria in secula seculorum ». Ultimo autem anathemate prolato, mox ab Illustrissimo Domino primo praesidente inceptus est hymnus « Te Deum laudamus », cantoribus prosequentibus illum usque in finem. Quo absoluto idem praesidens, versa ad sanctam synodum facie, patribus signo crucis benedixit altaque voce pronuntiavit: Patres reverendissimi, ite in pace, hac liturgica salutatione concilio finem imponens.

I. M. HANSSENS, S. I.

---

65 CTr, t. III, p. 762; t. IX, p. 1109-1110.

DE ORIGINE ECCLESIAE

(Cf. Litt. Enc. Pii XII. *Mystici Corporis Christi* 29. 6. 1943 *AAS* xxxv 1943 p. 204-208)

Ecclesiae competit origo prorsus propria; non oritur eodem modo, quo oriuntur generatim societates. Altera ex parte non potest dici leges sociales omnino non influere in originem Ecclesiae. Demonstrandum igitur est, in quo differat origo Ecclesiae ab origine societatis naturalis et quonam sensu origo eius congruat cum origine societatis naturalis.

I.

Quomodo oritur societas naturalis? Homo ab intrinseco tendit in perfectionem propriam; revera ipsa natura sua habet finem proprium; est enim persona. Hanc perfectionem propriam, personalem homo definitive non obtinet nisi unione cum ipso Deo, summo bono, non tantum in se, sed etiam hominis summo bono interno. Cum autem ad hunc ultimum suum finem non perveniat nisi mediante fine intermedio, a. v. attingendo bona contingentia, quatenus constituunt communicationem imperfectam bonitatis divinae in Universo contentae, homo immediate tendit in bona Universi, in semper maiorem possessionem bonorum contingentium, ut fiant proprium bonum. Homo igitur est centrum obiectivum Universi; bona Universi destinantur in eius *perfectionem personalem*. In intentionalitate sua, qua seipsum transcendit, homo habet

potentiam activam implendi illum appetitum naturalem, innatum in bona Universi.

In hac activitate exercenda homo multipliciter dependet ab aliis et quoad bona ordinis materialis et quoad bona ordinis spiritualis. Potentia enim singulorum hominum acquirendi bona ex Universo est limitata; ipsa autem transcendentia sui et tendentia in bona Universi est illimitata, et ita impellit homines ad reciprocam communicationem bonorum, ad mutuam cooperationem in actuatione bonorum. A. v. bona humana tantum *activitate sociali* effici possunt, coniunctione virium necnon divisione laborum et officiorum. Tendentia in bona humana unit homines in variis societatibus, quibus bona humana efficiuntur [1].

Ergo societas naturalis oritur *impulsu intrinseco* naturae humanae; natura humana essentialiter est socialis. Finis societatis naturalis est bonum aliquod naturale, in quod homo appetitu naturali fertur, communi activitate obtinendum. Intentio huius boni efficit unitatem activitatis intentionalis illius multitudinis hominum, quae hoc bonum

---

[1] « Die metaphysische Ermöglichung der Gemeinschaft ist in jener Betrachtungsebene zu suchen, wo die Schöpfung « auf Gott hin » gesehen wird. Dies ist die Ebene der absoluten Zielordnung auf das höchste Gut hin, wo Gott als die personale Gutheit selbst Ziel ist und der Einzelmensch in mitgeteilter, immer mehr auszuprägender personaler Güte und deshalb als eigentliches « Bild Gottes » eine metaphysisch gesicherte Zentralstellung hat, durch und in Gott selbst Ziel des Kosmos ist. Ohne weiteres ergibt sich dann als tiefste und höchste Gemeinschaft « die Menschheit », d. h. die Einzelmenschen in ihrer eben bestimmten metaphysischen Wesensart, innerlich verbunden durch das Ziel, um der grösseren Verherrlichung des Höchsten Gutes willen sich gegenseitig ihre Güte mitzuteilen ».

« Die andern Gemeinschaften bestimmen sich innerhalb der aufgezeigten umfassenden Zielordnung und innerhalb der höchsten Gemeinschaft durch die spezifischen gemeinsamen Teilgüter (Zielgüter) bis hin zu jenen Zielgütern, die durch die Seele — Leibnatur des Menschen und seine räumlichzeitlichen Daseinsbedingungen erforderlich sind, um das höhere und schliesslich in ihm das höchste Gemeinschaftsleben leben zu können, das « der Menschheit ». G. Gundlach S. I., Solidarismus. Einzelmensch, Gemeinschaft. Gregorianum 1936, 288 s.

prosequitur. Proinde societas est formaliter talis — i. e. unitas multorum — in ordine activitatis intentionalis.

Ecclesia ita non oritur. Finis Ecclesiae est *bonum supernaturale* excedens omnem appetitum et omnem potentiam naturalem. Tendentia socialis naturae humanae non sufficit ad explicandam originem Ecclesiae [2]. Ita origo Ecclesiae non debetur actibus socialibus eorum, qui tamquam membra illam constituunt, sed actui institutionis, fundationis eius, qui est auctor ordinis supernaturalis concreti. Christus est conditor Ecclesiae.

Constituitur Ecclesia a Christo Domino *morte sua in Cruce* [3]. Morte enim Christi in Cruce finem habet Vetus Testamentum, incipit Novum Testamentum. Finem habet Vetus Testamentum, quia Lex Vetus valorem suum amittit [4]. Incipit Novum Testamentum, quia Lex Nova morte Christi instituitur, ab eaque valorem et efficaciam accipit [5]. Haec

---

[2] « L'origine della Chiesa, all'opposto di quella dello Stato, non è di diritto naturale. La più ampia e accurata analisi della persona umana non offre alcun elemento per concludere che la Chiesa, al pari della società civile, avrebbe dovuto naturalmente nascere e svilupparsi. Essa deriva da un atto positivo di Dio, al dilà e al di sopra della indole sociale dell'uomo, per quanto con questa in perfetta armonia ». Pius XII. Allocutio ad S. R. Rotam, 2. 10. 1945, AAS XXXVII 1945, 259.

[3] « Divinus enim Redemptor mystici Ecclesiae templi aedificationem tum inchoavit, cum concionando sua tradidit praecepta; tum consummavit, cum clarificatus e Cruce pependit; ac tum denique manifestavit promulgavitque, cum adspectabili modo Paraclitum Spiritum in discipulos misit ». « Opus autem suum in Crucis patibulo consummavisse, haud interrupta Sanctorum Patrum testimonia asseverant, qui quidem animadvertunt in Cruce Ecclesiam e latere Salvatoris esse natam instar novae Evae, matris omnium viventium ». Pius XII. Litterae Encyclicae « Mystici Corporis Christi » 29. 6. 1943. AAS XXXV 1943, 204 s.

[4] « In suae autem mortis patibulo Iesus Legem cum decretis suis evacuavit, chirographum Antiqui Testamenti Cruci affixit ... In Cruce igitur Lex Vetus mortua est, mox sepelienda et mortifera futura ». Ibid. 205 s.

[5] « Redemptoris morte, Legi Veteri abolitae Novum Testamentum successit; tunc Lex Christi una cum suis mysteriis, legibus, institutis, ac sacris ritibus pro universo terrarum orbe sancita est Iesu Christi sanguine ». « In sanguine suo, pro universo humano genere profuso, Novum Testamentum » constituit. Ibid. 205.

Nova Lex est *lex fundamentalis Ecclesiae,* norma obiectiva totius vitae socialis Ecclesiae; exhibet proinde normam essendi et agendi Ecclesiae; ita illam obiective constituit; est constitutio eius constans complexu legum et institutionum quae essentiam Ecclesiae constituunt. Ita hac constitutione finis Ecclesiae determinatur: praestandi cultum Deo in Christo et per Christum, perducendi homines per Christum ad Deum visione supernaturali possidendum; praeterea determinantur hac constitutione media, quibus finis Ecclesiae vita eius sociali obtinendus est.

Talis finis et media correspondentia ad illum attingendum Christus quidem magna ex parte decursu vitae suae publicae instituit [6]. Attamen determinatio finis Ecclesiae et mediorum correspondentium definitiva fit demum morte Christi in Cruce. Quia enim voluntate Patris redemptio generis humani dependet a morte Christi sanguinosa, omnia quae illam praecedunt in ordine ad satisfactionem Deo praestandam pro peccato et ad redimendos homines hac passione et morte demum *valorem et efficaciam definitivam* obtinent. Ita Christus morte sua sigillavit *doctrinam* suam tamquam divinitus revelatam, tamquam illam, quae vere indicat finem ultimum hominum et viam qua ad illum, ad Deum in visione beatifica perveniunt. Institutio sacrificii Eucharistici fit definitiva; est enim *sacrificium Eucharisticum,* unicum sacrificium Ecclesiae, principalis actus cultus eius divini, quod ita essentialiter ad sacrificium cruentum Crucis refertur, ut sit eius perpetua renovatio et repraesentatio incruenta. Habentur morte Christi in Cruce *sacramenta* in Ecclesia, quae sunt prin-

[6] « Dum nimirum concionatoris munus obibat, Apostolos elegebat, mittens eos sicut ipse erat missus a Patre, doctores nempe, rectores, sanctitatisque effectores in credentium coetu; eorum Principem suumque in terris Vicarium indicabat; omnia, quae audierat a Patre, eis nota faciebat; Baptismum quoque designabat, quo credituri Ecclesiae Corpori insererentur; ac tandem ad vitae vesperam cum pervenisset, novissimam celebrans coenam, Eucharistiam, mirabile sacrificium mirabileque sacramentum, instituebat ». Ibid. 204 s.

cipalia media sanctificationis hominum; nam virtus eorum producendi gratiam ex opere operato e morte Christi in Cruce fluit. In specie habetur ita *Baptismus et Eucharistia*, quibus in perpetuum membra Ecclesiae generantur et nutriuntur. Modus gubernationis Ecclesiae definitive designatur: gubernatio fit munere *Primatus et Apostolatus*.

Morte Christi in Cruce igitur *oeconomia salutis nova* initium sumit. Omnia quae hanc oeconomiam constituunt — depositum fidei, cultus Deo tribuendus, media sanctificationis, potestas sacra: ordinis et iurisdictionis — Ecclesiae concreduntur, cui ita omnia essentialia dantur, quibus indiget ad vitam suam vivendam. Hoc sensu mors Christi in Cruce est actus essentialiter socialis, quia ea pro societate universali religiosa hominibus quam maxime necessaria definitive datur constitutio, quatenus haec inde a morte Christi gaudet pleno vigore et valore.

Consequenter tali institutione definitiva oeconomiae novae Ecclesia non tantum constituitur obiective, i. e. non constituitur tantum norma obiectiva activitatis eius. Morte enim sua Christus constituitur *Caput* Ecclesiae [7]. Verum est Christum constitutum esse Caput totius generis humani ipsa sua incarnatione. Ipsa enim assumptione et elevatione naturae humanae per Verbum Divinum Christo Jesu — qui etiam qua homo est filius Dei naturalis — debetur omnis perfectio possibilis, et ita etiam principatus totius generis humani [8]. Attamen hac assumptione et elevatione

---

[7] « E Crucis virtute Servator noster, etsi iam in utero Virginis Caput totius humanae familiae constitutus, ipsum Capitis munus in Ecclesia sua plenissime exercet. 'Per Crucis enim victoriam, ex Angelici Communisque Doctoris sententia, meruit potestatem et dominium super gentes'... In arbore Crucis denique sibi suam acquisivit Ecclesiam, hoc est omnia mystici sui Corporis membra, quippe quae per Baptismatis lavacrum mystico huic Corpori non coagmentarentur, nisi ex salutifera virtute Crucis, in qua quidem iam plenissimae Christi ditionis facta essent ». Ibid. 206.

[8] « Est igitur *a*) Christus homo caput ut existens in suprema perfectione totius ordinis creati, 'in omnibus primatum tenens'. Col. I. 18. *b*) Est caput ut rex, dominus et moderator

naturae humanae per Verbum Divinum Christus homo nondum accipit *exercitium* potestatis ratione unionis hypostaticae et filiationis naturalis divinae illi debitae. Hoc exercitium voluntate Patris connectitur cum morte Christi in Cruce, a. v. cum actione meritoria infiniti valoris moralis, qua Christus ipse sibi potestatem in homines meretur. Nunc potestas in homines ei debetur titulo iuridico, ex iustitia, propter actionem meritoriam personaliter praestatam[9]; nunc cadit omne ligamen potestatis inde ab incarnatione ei debitae. Consequenter etiam potestas ab Apostolis eorumque successoribus in omnes homines omnium regionum et temporum exercenda est potestas non tantum nomine et mandato Christi exercenda, sed ipsa eius morte in Cruce tamquam titulo iuridico fundata. Proinde etiam praecepta, quae Christus fidelibus dedit praedicatione sua, nunc iam imponit iure sibi in homines morte sua acquisito.

Inde elucet mortem Christi in Cruce esse actum socialem quam maximae efficaciae. In Cruce Christus iure proprio fit Caput Ecclesiae; elementa quae *essentiam Ecclesiae constituunt*, nunc omnia adsunt; Ecclesia nunc constituitur definitive, quia exercitium supremae potestatis in ea a Christo assumitur. Christo Capiti Ecclesiae omnia dantur ad usum expeditum, quibus Ecclesia constituitur, etiam quatenus est societas externa et

---

omnium, ex quo omnis potestas nominatim omnis potestas supernaturalis et omnia munia in corpore quod est Ecclesia, descendunt ... Suprema potestas, cui subiecta sunt omnia, tum quatenus debetur Filio Dei naturali ex ipsa dignitate personae tum quatenus alio titulo est debita pro meritis exaltatio (Phil. II. 8 sq.; Heb. II. 9), tandem fundatur in gratia unionis ». I. B. Franzelin S. I., Tractatus de Verbo Incarnato. Romae 1869, 410 s.

[9] « Mediatio autem haec, reconciliatio, ac pacificatio fit per satisfactionem et meritum seu, comprehendendo totum in suo fastigio et in sua ultima consummatione, per sanguinem Christi ut *pretium* redemptionis ». Ibid. 495. « Genus itaque humanum ipsum, si in eo Christus Redemptor ut caput iuridicum comprehensus intelligitur, potest dici Deo satisfecisse adaequata iustitia, non tamen singula generis membra utpote contradistincta a Christo capite possunt dici adaequata iustitia satisfecisse ». Ibid. 510.

iuridica: Finis, media, potestas; praecepta, membra. Ita genus humanam una ex parte eius potestati subiicitur, altera ex parte accipit capacitatem obtinendi actibus fidei et caritatis vitam supernaturalem, participationem in vita Christi. Proinde morte Christi in Cruce Ecclesia non constituitur tantum obiective, sed etiam realiter, quia constituitur elementum materiale Ecclesiae; totum enim genus humanum designatur elementum materiale Ecclesiae, i. e. designatur tamquam illa multitudo hominum, quae destinatur ad constituendum (seu virtualiter constituit) fine et activitate lege fundamentali definita *unitatem in et cum Christo.*

Christus igitur ex parte sua voluntate et activitate omnia facit, quae requiruntur ad genus humanum sibi uniendum. Inde fit, ut professio externa fidei et caritatis in Christum eorum, qui astantes Cruci morienti Domino fideliter adhaerent etiam hac hora — Maria Mater Domini, Sanctus Johannes Apostolus, piae mulieres et forte etiam alii ex discipulis Domini — habeat rationem activitatis socialis, quatenus tali fidei et caritatis professione etiam ex sua parte se submittunt Christo Domino agnoscentes eum Caput Ecclesiae et consequenter actu ei tamquam Capiti Ecclesiae uniuntur, i. e. membra fiunt Ecclesiae sensu perfecto.

Praeterea morte Christi in Cruce Ecclesia acquirit illa *bona spiritualia,* quae membris eius tradenda sunt[10]. Unioni enim hominum cum Deo obstat peccatum; sacrificio Crucis Patri praestatur satisfactio superabundans pro peccato. Ecclesiae cum sacramento Baptismatis et Paenitentiae datur illud donum, quod rite ab hominibus susceptum re-

[10] Per Crucis victoriam « in immensum nobis auxit thesaurum illum gratiarum, quas gloriosus regnans in caelo, membris suis mortalibus nulla intermissione elargitur; per sanguinem in Cruce profusum id effecit, ut divinae irae remoto obice, omnia caelestia dona imprimisque spiritualia Novi et Aeterni Testamenti munera e fontibus Servatoris in salutem hominum, maximeque fidelium, effluere possent ». Myst. Corp. Christi. l. c. 206.

missionem peccatorum efficit. Unio supernaturalis cum Deo vires hominis omnes excedit; sacrificio Crucis Christus meretur hominibus elevationem supernaturalem, qua visionis beatificae capaces fiunt. Ecclesiae in omnibus sacramentis datur illud bonum, quod ab hominibus rite susceptum gratiam illam supernaturalem efficit et auget omnesque praebet vires ad vitam christianam supernaturalem gerendam. Mors Christi in Cruce igitur est actus socialis maximae efficaciae, quatenus illa bona spiritualia, supernaturalia constituit, quae activitate sociali perenni Ecclesiae hominibus conferenda sunt. Immo Ecclesia instituitur eo fine, ut homines in ea et mediante ea haec bona supernaturalia accipere possint; morte ergo Christi in Cruce Ecclesia horum bonorum dispositionem actualem acquirit.

Porro morte Christi in Cruce Ecclesiae confertur *principium internum* vitae eius, i. e. ipse *Spiritus Sanctus* unitur Ecclesiae, anima eius constituitur [11]. Vita enim Ecclesiae est quidem vita vere socialis; proinde actibus externis, sensibilibus absolvitur; attamen tota vita externa Ecclesiae ordinatur in vitam eius internam, invisibilem.

---

[11] « Ecclesia per sanguinem eius uberrima illa Spiritus communicatione ditata est, qua quidem, inde a ' Filio hominis ' in suum dolorum patibulum elato ibique clarificato, divinitus illustratur ... Sicut igitur primo incarnationis momento, Aeterni Patris Filius humanam naturam sibi substantialiter unitam Sancti Spiritus plenitudine ornavit, ut aptum divinitatis instrumentum esset in cruento Redemptionis opere: ita pretiosae suae mortis hora Ecclesiam suam uberioribus Paracliti muneribus ditatam voluit, ut in divinis Redemptionis fructibus impertiendis validum evaderet incarnati Verbi instrumentum, numquam utique defuturum ». Ibid. 206 s. « Quodsi divinum hoc, a Christo datum, vitae virtutisque principium attente consideramus, prout ipsum fontem constituit cuiusvis doni gratiaeque creatae, facile intellegimus illud nihil aliud esse nisi Paraclitum Spiritum, qui a Patre Filioque procedit, quique peculiari modo ' Spiritus Christi ' seu ' Spiritus Filii ' dicitur ... Postquam Christus in Cruce clarificatus est, eius Spiritus cum Ecclesia uberrima effusione communicatur, ut ipsa eiusque singula membra magis in dies magisque Servatori nostro adsimulentur ». Ibid. 218 s. « In mystico, de quo agimus, Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse exsistens vir-

supernaturalem, cuius est manifestatio vel causa [12]. Actus sociales autem tamquam actus naturales in se et ex se nullam habent relationem ad hanc vitam supernaturalem utpote ordinem naturalem transcendentem. Morte Christi nunc vita supernaturalis peccato perdita restituitur; inde hac morte Ecclesiae confertur principium huius vitae supernaturalis, qua vere participat de vita Christi: Spiritus Sanctus. Hoc sensu igitur mors Christi in Cruce est actus summopere socialis: confertur Ecclesiae principium internum vitae eius, quo omnis eius activitas socialis accipit indolem specifice supernaturalem.

Morte Christi in Cruce igitur originem habet Ecclesia, quatenus est societas externa et iuridica, sed informata principio supernaturali, elevata ad ordinem supernaturalem. Utrumque elementum est essentiale pro constitutione Ecclesiae; utrumque conditur morte Christi in Cruce. Homines enim mere interne communicare non possunt; vita interna, invisibilis Ecclesiae in tota sua latitudine non potest consistere, non potest hominibus conferri nisi tali activitate externa, iuridica. Si itaque morte Christi cultus Ecclesiae definitur, si Ecclesiae conferuntur bona spiritualia hominibus elargienda, si ibi fundatur potestas sacra Christi Capitis Ecclesiae et potestas Apostolorum in homines exercenda, si illa morte doctrina revelata hominibus tradenda sigillatur — haec omnia activitatem externam, socialem, iuridicam Ecclesiae exigunt [13].

---

tuteque pollens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid non naturalis, sed superni ordinis, immo in semet ipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui, ut ait Angelicus, ‘unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit’». Ibid. 222.

[12] Cf. W. Bertrams S. I., Die Eigennatur des Kirchenrechts. II. Gregorianum, Fasc. IV. 1946.

[13] «Iuridica enim, quam vocant, Ecclesiae missio, ac docendi, gubernandi sacramentaque administrandi potestas, idcirco ad aedificandum Christi Corpus supernam vim habent atque vigorem, quod Christus Iesus e Cruce pendens Ecclesiae

Origo Ecclesiae in Cruce ita iam ex se demonstrat eius specificam *indolem supernaturalem*, i. e. demonstrat illam essentialem connexionem inter vitam Ecclesiae internam et functionem externam huius vitae. Si enim Ecclesia concipitur fere ad modum societatis naturalis, eius origo in Cruce vix intelligitur. Mortem enim Christi in Cruce habere rationem fundationis definitivae Ecclesiae nobis tantum revelatione innotescit. Neque ipse Christus, neque fideles ipsi adhaerentes ponunt actus, qui natura sua fundationem societatis externae et iuridicae constituunt. Ipsam virtutem supernaturalem mortis Christi in Cruce fide tantum cognoscimus; mors Christi in Cruce directe et immediate vitam Ecclesiae internam, invisibilem respicit. Haec vita interna societatem externam, iuridicam et supponit et exigit; inde morte Christi Ecclesia etiam tamquam societas externa et iuridica conditur. Deficiente autem vita interna neque de fundatione societatis externae et iuridicae sermo esse potest. Similiter activitas fidelium hac occasione, sc. eorum professio fidei et caritatis in Christum morientem, potest quidem et debet concipi tamquam activitas socialis, i. e. tamquam activitas, qua Ecclesiae aggregantur membraque eius fiunt; sed hanc indolem socialem non habet ex se, sed tantum quia et in quantum Christus activitate sua iam constituit Ecclesiam.

Praeterea hac conexione inter vitam internam et externam supposita bene intelligitur Ecclesiam perfici posse post mortem Domini secundum elementum externum, i. e. quatenus est societas iuridica. Etsi enim morte Christi in Cruce omnia habentur, quae ad vitam Ecclesiae essentialiter requiruntur, etiam quatenus Ecclesia est societas externa et iuridica, hoc elementum externum natura sua ulterioris perfectionis capax est. Si e. g. post resurrectionem

---

suae divinorum munerum fontem aperuit, quibus et fallentem numquam doctrinam homines docere posset, et eos per divinitus illuminatos Pastores salutariter regere, ac caelestium gratiarum imbre perfundere ». Myst. Corp. Christi. l. c. 207.

demum instituitur *sacramentum Paenitentiae,* hac institutione determinatur ritus externus. quo remissio peccatorum post baptismum commissorum et infusio gratiae sanctificantis talibus peccatis amissae in peccatoribus efficitur; ipsa autem remissio peccati, ipsa gratia in se morte Christi habetur et Ecclesiae concreditur. Proinde tali institutione magis in concreto determinatur activitas tantum externa Ecclesiae; ab ipso Domino magis specificatur exercitium potestatis Ecclesiae in Cruce collatae; ab ipso Domino indicatur, quibus actibus externis vita Ecclesiae interna manifestanda ac efficienda est.

Similiter concipi debet initium muneris *Primatus Sancti Petri.* Christus constituitur in Cruce Caput Ecclesiae invisibile et visibile. Ascendens in caelum munus Capitis visibilis iam amplius per se ipsum exercere nequit; proinde hoc munus nunc confertur Sancto Petro. Ita structura interna huius officii tota quanta est vicariatus Christi. Inde iam elucet, quod hoc officium absolvitur in Ecclesia tamquam societate externa, iuridica. Pariter elucet hoc officium Ecclesiae non esse necessarium, quamdiu ipse Dominus munus Capitis visibilis per se ipsum exercet, sicuti hoc obtinet usque ad Ascensionem eius in caelum [14]. Haec omnia — et talia similia — pro Ecclesia nunc omnino sunt « essentialia », quia voluntate Christi absoluta instituuntur et ita ab Ecclesia mutari non possunt; non autem requiruntur ad constitutionem ipsius essentiae Ecclesiae, quae morte Christi in Cruce perfecte habetur.

---

14 « Christus Iesus, cum pro salute nostra venisset in hunc mundum, servili forma accepta Ecclesiam, de qua loquimur, in Cruce patiens suo sanguine acquisivit, et in ea usque ad diem ascensionis corporaliter praesedit, et tamquam dux verus et imperator cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisset in coelum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat: Pasce oves meas ». (Verba Pii Papae II. citata sec. S. Tromp S. I., Annotationes in Litt. Enc. Myst. Corp. Christi, Periodica 1943, 392). Quomodo doctrina a Pio XII proposita (quoad originem Ecclesiae morte Christi in Cruce) iam contineatur in documentis anterioribus pontificiis, vide apud S.

Hisce suppositis bene etiam intelligitur praeter constitutionem Ecclesiae requiri *promulgationem* eius[15]. Nam activitas Christi in Cruce non est activitas natura sua socialis et iuridica. Tamquam talis tantum cognoscitur ex fontibus revelationis. Requiritur igitur manifestatio externa Ecclesiae, qua tamquam societas divinitus fundata, vita interna supernaturali ditata mundo innotescat, i. e. requiritur manifestatio externa, ut Ecclesia sit per se ipsa, activitate sua sociali, ordinata in vitam invisibilem, supernaturalem « divinae suae legationis testimonium irrefragabile »[16]. Talis promulgatio Ecclesiae habetur die Pentecostes missione visibili Spiritus Sancti. Proinde hac occasione non datur primum Ecclesiae Spiritus Sanctus, sed Divinus Spiritus suam praesentiam manifestat modo externo, visibili. Ita accipit Ecclesia nunc illa dona charismatica, quibus — praesertim primis temporibus — ad propagationem inter paganos, ad aedificationem singularum ecclesiarum localium indiget. Ita de facto immediate post hanc manifestationem activitas externa, socialis Ecclesiae incipit: Sanctus Petrus sermonem habet ad populum et multi statim in Ecclesiam baptismate recipiuntur[17].

II.

Secundum ea quae diximus constituitur Ecclesia morte Christi in Cruce tamquam societas specifice supernatura-

---

Tromp S. I., Corpus Christi quod est Ecclesia. I. Romae 1946², 38 ss., ubi citantur documenta inde a S. Hormisda ad Pium XI.

[15] « Quam autem sanguine suo condidit Ecclesiam, eam Pentecostes die peculiari virtute, caelitus delapsa, roboravit. Siquidem, in excelso suo munere sollemniter eo constituto, quem suum iam anteà designaverat Vicarium, caelum ascenderat; ac sedens ad Patris dexteram, Sponsam suam adspectabili Spiritus Sancti adventu, cum sonitu flaminis vehementis ignitisque linguis, manifestare ac promulgare voluit ». Myst. Corp. Christi. l. c. 207.

[16] Cf. Concilium Vaticanum, Sess. III. Const. dogm. de fide catholica, cap. 3. (Dz. 1794).

[17] Cf. AA. 2, 1-41.

lis. Tamquam talis societas nulla activitate sociali in se sola constitui potest; attamen constituto elemento supernaturali Ecclesia oriri dici potest eo fere modo quo societates naturales oriri solent[18].

Omnis societas eo oritur, quod multitudo hominum intendit bonum aliquod humanum idque communi activitate efficiendum. Ita Ecclesia tamquam societas iuridica intendit talem *ordinationem externam vitae religiosae*, ut Deo in Christo debitus cultus praestetur hominesque in eo gratiam supernaturalem consequi possint[19]. Talis finis Ecclesiae necnon plura media ad illum obtinendum ab ipso Christo Domino determinantur; proinde in se, quoad substantiam sunt immutabilia. Debent admitti ab omnibus illis, qui Ecclesiae se aggregare volunt. A. v. professio fidei in Christum, cultus Dei per sacrificium Eucharisticum, subordinatio sub auctoritate legitima Ecclesiae, actus virtutum theologicarum et moralium, quatenus requiruntur pro susceptione sacramentorum et pro vita christiana in genere et alia constituunt magna ex parte *activitatem personalem*, qua vita Ecclesiae semper de novo efficitur. Talis activitas est activitas vere communis, qua finis Ecclesiae mediis communibus efficitur. Hoc sensu Ecclesia semper de novo oritur, eodem fere modo quo Status semper de novo oritur continua cooperatione civium ad bonum commune Status efficiendum.

Si ergo diximus Ecclesiam oriri non posse ex impulsu naturae socialis humanae, hoc omnino verum est quoad eius finem et vitam supernaturalem. Hisce autem conditis *tendentia socialis humana*, quatenus fertur in bonum religiosum, in Ecclesia non tantum impletur, sed elevatur et perficitur. Praeterea, si diximus actus sociales hominum

---

[18] Ciò non toglie però che, una volta costituita la Chiesa, come società perfetta, per opera del Redentore, dall'intima sua natura scaturissero non pochi elementi di rassomiglianza con la struttura della società civile ». Pius XII. Allocutio ad S. R. Rotam, l. c. 259.

[19] Cf. Bertrams. l. c. III.

ex se esse omnino incapaces ad condendam Ecclesiam, pariter hoc referendum est ad Ecclesiam quatenus est societas specifice supernaturalis. Constituto elemento supernaturali *activitas socialis humana,* actus liberi et personales requiruntur ad vitam Ecclesiae efficiendam et conservandam. E. g. in aliqua regione, dicamus in terra missionum, tunc demum Ecclesia exstitit, quando ibi habentur aliqui saltem fideles, qui exercent cultum catholicum et gerunt vitam christianam.

Eo magis debetur origo Ecclesiae semper de novo activitati sociali humanae, quod *bonum commune Ecclesiae* praeter elementa immutabilia ab ipso Domino constituta continet etiam elementa determinata necessitatibus temporis et loci. Evolutio culturae et civilisationis in multis afficit etiam vitam religiosam. Differentia e. g. liturgiae et iuris canonici in Oriente et in Occidente, historia theologiae, liturgiae, iuris canonici in Ecclesia Latina et in Ecclesia Graeca directe manifestat hunc characterem dynamicum vitae Ecclesiae, qui habetur quoad elementa mutabilia boni communis Ecclesiae. Praeterea differentia et varietas vitae Ecclesiae in diversis populis ubique confert Ecclesiae notam vere characteristicam et singularem. Haec omnia autem activitati sociali humanae debentur [20].

Proinde Ecclesia non potest concipi simpliciter tamquam *institutum iuridicum, institutum salutis,* i. e. orga-

---

20 « Wie sein (Christi) persönliches Leben als Gottmensch die Vereinigung von Göttlichem und Menschlichem darstellt, so soll sein soziales Fortleben, unbeschadet der übergeordneten vollen Auswirkung des Göttlichen in Zeit und Raum, auch die volle Entfaltung des Menschentums in der Geschichte, seiner Individuen und Gemeinschaften, in harmonischer Totalität mit dem Göttlichen bedeuten. In diesem das Göttliche und Menschliche umfassenden Sinne sprechen wir von dem *lebendigen Christus* und nennen seine soziale Verbreiterung oder vielmehr den universalen Personenverband, der aus der gemeinsamen Anerkennung dieses lebendigen Christus entsteht, die *Kirche.* Daher *definieren* wir soziologisch: die *Kirche* ist jene religiöse Gemeinschaft, die auf der gesellschaftsbildenden Auswirkung des lebendigen Christus und seiner Anerkennung durch die Menschen beruht.

nisatio aliqua, cuius vita et activitas non ab intrinseco, ex ipsa multitudine hominum, exsurgit, sed ab extra determinatur. Pro vita Ecclesiae activitas personalis, socialis est essentialis; Ecclesia est *vera societas*. Finis Ecclesiae et media quibus obtinendus est, quoad substantialia positivo actui divino quidem debentur; ita sunt vere « instituta » a Deo; attamen ita libera et personalis activitas hominum non tantum non excluditur, quin potius requiritur [21]. Hac ratione ergo Ecclesia non est institutum salutis, sed corporatio, vera societas religiosa, quae ex activitate sociali semper de novo oritur.

Altera ex parte *character institutionalis* Ecclesiae negari non potest. Refertur autem secundum modo exposita exclusive ad eius essentiam supernaturalem. Quia Ecclesia fine et mediis habet indolem supernaturalem, ea de causa « superadditur » naturae sociali, « instituitur » actu positivo divino. Inde elucet ex origine Ecclesiae nihil inferri posse pro origine societatis naturalis; a. v. ex eo, quod Ecclesiae competit character institutionalis, non sequitur talem indolem competere omni societati naturali. Character institutionalis societati ordinis naturalis non est essentialis; societas naturalis per se oritur ex impulsu naturae socialis activitate libera et personali, qua bonum intentum cooperatione omnium efficitur.

W. Bertrams, S. I.

Es ist unschwer einzusehen, dass auf diese Weise die Idee der *Humanität* zum integrierendern Bestandteil des im universalen Sozialgebilde der Kirche lebendigen Katholizismus wird. Und zwar erscheint die Humanität, das Menschentum, hier nicht als Fiktion, die nur dazu dient, die Entwicklung des Menschen anzustacheln, und erst recht nicht als naturalistischer, blosser Summen-oder Kollektivname für die biologische Einheit des Menschengeschlechts, sondern sie ist eine reale, transzendente, letztlich wie jede idea exemplaris in der höchsten Realität, der Geistigkeit des persönlichen Schöpfergottes, verankerte Idee und Norm ». G. Gundlach, S. I., Zur Soziologie der katholischen Ideenwelt und des Jesuitenordens. Freiburg i. B. 1927, 49. Cf. etiam Bertrams l. c. III.

[21] Cf. Bertrams l. c. III.

DE SINENSIS EXPEDITIONIS TRANSITU IN ECCLESIAM HIERARCHICAM

Neminem certe fugiet momentum plane singulare Constitutionis Apostolicae « Quotidie Nos », qua Summus Pontifex Pius XII Episcopalem Hierarchiam in Sinis instituit ac promulgat. Huiusmodi documentum monumentum vere historicum si dixeris, nullus non tibi ultro consentiet. Tota enim Historia Ecclesiae Sinensis bifariam deinceps partietur, cum tempora quae illud antecedunt primam partem efficiant, quae autem sequentur secundam certe efformabunt.

Cum autem alibi rem sub historico aspectu consideraverim [1], hic lubeat de eadem quoad momentum quod hodie habet quodque praesertim cras habebit in Ecclesia sinensi breviter disserere.

* * *

Ut aliqua Ecclesia particularis possit secura fronte futura tempora prospicere, requiritur et sufficit ut ab ea primo removeantur obstacula, deinde ut positive possideat ea omnia quae eius prosperitatem procurare queant.

Duplex porro extabat obstaculum quominus Ecclesia sinensis prospere procederet, quorum primum internam, secundum vero externam eius vitam afficiebat. Quod autem utrumque obstaculum his ultimis annis penitus remotum sit, sincere gaudemus et nobiscum gaudent quicumque res Sinarum vere diligunt.

---

[1] Videsis commentarium meum *L'Istitutione della Gerarchia Episcopale e della Internunziatura in Cina* in *Studia missionalia* edita a Facultate Missiologica in Pontif. Univ. Gregoriana, Romae, II, 1946, pp. 1-31.

Internum illud dico quod per plura saecula perduravit quodque, testibus primi subsellii viris, nimis heu! conversionem Sinensium retardavit; intelligo obstaculum ex ea quae vocari solet «Quaestio Rituum». Ad quae illustranda, venia humanissimi lectoris, liceat hic quaedam referre in quibus quandoque qui haec scribit aliquantulam partem habuit. Etenim die VII a. Id. Nov. anni 1938, in sollemni instauratione scholarum anni academici 1938-1939 in hac alma Pontificia Universitate coram Em. Card. Eugenio Pacelli, a Secretis Status, qui quatuor post menses Petrianam Cathedram conscensurus erat sub nomine Pii Papae XII, necnon coram pluribus Archiepiscopis, Episcopis, Collegiorum Rectoribus, aliisque quam plurimis, et Universitatis alumnis, legi orationem cui titulus « Quandonam omnes gentes ad Christum adducentur? ». Postquam dixissem de prosperitate Sacrae Expeditionis apud Sinas usque ad annum 1644, haec addidi: « Eversa dynastia Mim, eadem ratione usi sunt praecones nostri regnante dynastia Zzim, et tam prospere ut magnus Imperator Ccamsci [K'ang Hsi], quo probabiliter nemo maior inter omnes Imperatores Sinarum, in eo erat, ut Christo se, domumque suam populosque universos sibi subiectos dicaret subiceretque; quod tamen luctuosa illius temporis adiuncta passa non sunt. Quod si evenisset, ut iam spes affulgebat si praeconibus pacifice in vinea Domini sinica adlaborare licuisset, hodie non tantum regio Sinarum Christo perpetuo addicta esset, sed et omnes finitimae regiones, quae a Sinis aliquomodo tunc pendebant, ut Iaponia, Indosinae, Corea, Manciuria, fortasse Mongolia et India, et aliae non paucae, nempe tota fere Asia, in qua e tribus omnium hominum partibus duae etiam hodie longe a vero Deo vitam degunt » [2].

---

[2] Cf. *Quandonam omnes gentes ad Christum adducentur?* seu *De omnium optima orbis Christo subiciendi ratione* in Pontif. Univ. Gregoriana, *Liber Annualis*, a. 1940 ineunte, Romae, 1940, pp. 61-78, praesertim pp. 74-75.

Cui animadversioni non mediocre pondus addidit duobus post annis Ecc.mus D. Celsus Costantini a Secretis apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide, qui orationem publicam faciens in Urbaniano Collegio die 8 decembris anni 1940, haec inter alia protulit: « Nulla natio ad Christum adducitur, nisi praecones agendo immutent eos qui cogitationibus ac ideis suis populo imperant necnon et illos qui in civili consortio aliquo saltem pacto praeeminent. De qua quidem re optima exstat probatio in drammate missionali, quod vocant, Matthaei Ricci. Ipse audacter ac intentis oculis intuitus est Imperatorem Sinarum, spemque fovit eum ad Christum adducendi. Nec spes undequaque fefellit, cum Ccamsci in eo fuerit ut christifidelis fieret. Quod si evasisset, omnes Imperii subditi, fere certe, immo certe, sequuti essent exempla *Coeli Filii*. Ast infelix Rituum Quaestio probabiliter, saltem ex parte, animum eius a Christi Lege alienum reddidit! » [3].

At pondus ac momentum maximum huic rei addidit et ipse Summus Pontifex Pius XI, de quo sunt qui dicunt ab ipsis Pontificatus sui primordiis in mente habuisse totam hanc rem sursum deorsum tandem funditus novo examini subicere. Certe, ut retuli in eadem Oratione edita de qua supra dixi [4], vir altissima in Ecclesia dignitate ornatus, ideoque testis omni exceptione maior, mihi vehementer stupenti circa annum 1939 retulit se propriis auribus audivisse Pium XI haec verba proferentem: « Exsecranda illa quaestio duorum saeculorum moram Evangelio

---

[3] « Una nazione non si converte se l'azione missionaria non modifica il pensiero dominante e non raggiunge le classi dirigenti. Noi ne abbiamo una riprova in quello che può definirsi il dramma missionario di Matteo Ricci. Egli aveva mirato arditamente all'Imperatore della Cina; e K'ang Hsi fu sul punto di convertirsi. Se si fosse convertito, tutta la Cina avrebbe quasi certamente — anzi certamente (aggiunse a voce) — seguito l'esempio del Figlio del Cielo. La triste querela dei riti ebbe probabilmente parte nell'alienare K'ang Hsi dalla religione di Cristo » (*Osservatore Romano*, 8 dic. 1940).

[4] *Liber annualis*, ibid. p. 74, n. 44.

in Sinis pervulgando imposuit! »[5]. Quae Supremi Magistri verba cum egomet vicissim alii rerum sinensium apprime perito ac prudentissimo viro, qui et ipse ecclesiastica dignitate pollet, retulissem: « Quin immo », adiecit, « addam ego et istud: Heu! oblatam occasionem e manibus elabi sinivimus »[6].

Quod quidem obstaculum die 8 decembris anni 1939, sub Pontificatu hodierni Pontificis Pii XII, penitus ablatum est. Cum enim Gubernium Sinense non semel mentem suam protulisset de civilibus dumtaxat honoribus Confucio tribuendis et satis clarum esset et populum ipsum non aliam habere mentem in honoribus defunctis proferendis, non erat cur catholicis haec adhuc prohiberentur. Etenim caeremoniae quae in honorem Confucii a publicis Auctoritatibus sive peraguntur sive iubentur, non fiunt animo tribuendi religiosum cultum, sed hunc solum in finem, ut foveatur et expromatur in virum clarissimum dignus honor et in traditiones patrum debitus cultus. Ideoque quoad praxim attinet, licitum erit deinceps catholicis: « adesse actibus honoris qui ante Confucii imaginem vel tabellam in monumentis confucianis vel in scholis perficiuntur »; necnon « imaginem Confucii vel etiam tabellam eius nomine inscriptam in scholis catholicis collocari, praesertim si Auctoritates id iusserint, aut eam capitis inclinatione salutare ». Pari autem modo non iam prohibitae sed licitae et honestae habendae sunt « inclinationes capitis atque aliae civilis observantiae manifestationes ante defunctos vel defunctorum imagines, et etiam ante tabellam defuncti, simplici nomini inscriptam ». Immo ut casibus perplexioribus occurreretur, declaratum est hac ipsa occasione: « Tolerandum ut catholici magistratus et alumni, si publicis caeremoniis adsistere iubeantur, quae speciem

---

5 Seu italico sermone quo Pontifex usus erat: « Quella maledetta questione ha ritardato di due secoli l'evangelizzazione della Cina ».

6 « Ed io aggiungo: abbiamo perduto la partita ».

praeseferant superstitionis, intersint quidem, dummodo ad mentem can. 1258, passive se habeant signumque illius tantum obsequii faciant quod ut mere civile iure haberi possit »[7].

Et haec quidem de obstaculo interno, quo iam semoto, expedita fit Ecclesia ad ulterius progrediendum.

Externum autem obstaculum ex pactionibus proveniebat quas Sinenses vi, saeculo XIX decurrente, cum pluribus Nationibus occidentalibus post infausta bella inire coacti sunt.

Omnibus enim pernotum est, bello quod ab oppio nuncupatur absoluto, anno 1842 pactionem Sinas inter et Angliam initam esse qua stipulabatur insulam Sciiamchiam seu Hongkong Anglis a Sinensibus tradendam esse ac insuper quinque portus commercio alienigenarum aperiendos esse. Anglos secuti sunt primo cives Statuum Foederatorum, deinde vero Galli; illi quidem pactione die 3 iulii 1844, isti vero die 24 octobris eiusdem anni condita. Hoc modo initium factum est pactionibus illis quas Sinenses « inaequales » ultro citroque dixerunt. Quo nomine vocantur pactiones illae in quibus, non sine iniuria, graviora onera Sinensibus imposita sunt quam Occidentalibus. Inaequalitas autem apparet in mente Sinensium quinque potissimum rationibus, nempe: ablatione a Sinensibus autonomiae in definiendis vectigalibus quoad mercium venditionem cum exteris; instauratione regiminis « extraterritorialitatis », quo Occidentales legibus Sinarum omnibus soluti sunt; delimitatione locorum in quibus Occidentales quidem tota et exclusiva gaudent iurisdictione, Sinenses vero prorsus nulla, quae quidem loca « concessiones » seu « stabilia » vulgo dicuntur; privilegio quo Occidentalium naves navigare possunt supra flumina interiora Sinarum vel secus ora maritima; statione stabilium custodiarum militum exterorum in territorio sinensi.

---

[7] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, Romae, XXXII, 1940, p. 25.

Quibus prioribus pactionibus, novo orto bello Angliam Galliamque inter et Sinas, aliae graviores additae sunt anno 1857 in urbe Tienzin [Tientsin] cum Russia, Statibus Foederatis, Anglia et Gallia. Quas quidem potius extorquere a Sinensibus visi sunt Occidentales, ideoque Sinenses non libenter in praxim deduxere, quae nullo non tempore abnuissent si potuissent. Quod quidem ad tertium bellum viam stravit, ideoque tertio pactionum generi, nempe Conventioni, quam vocant, Pechinensi anno 1860 initae.

Quas quidem Nationes secutae sunt, in pactionibus cum Sinis ineundis, Prussia, Lusitania, Dania, Neerlandia, Hispania, Belgium, Italia et Austria [8].

Rem autem christianam quod spectat, plura, quae a sinensi gubernio non sponte promissa erant, e pactionibus istis defluebant, ut v. c.: libertas omnibus Sinensibus concessa amplectendi religionem christianam; facultas praeconibus facta iter faciendi extra portus apertos in interiori parte Sinarum; peculiare privilegium Galliae protegendi omnes praecones cuiuscumque nationis necnon — quod maxime mirum videri poterat — et christianos e sinensi gente ortos; restitutio aedificiorum religiosorum quae persecutionum praeteritarum tempore ablata erant; facultas emendi praedia et possidendi domos ad Expeditionum expensas sustinendas et alia huiusmodi.

Inde ergo factum est ut in mente ethnicorum Religio Christiana visa sit cum auctoribus pactionum manus iunxisse. Querelae ergo motae contra pactiones inaequales, eodem fere iure proferebantur contra et ipsam Religionem Christianam, et qui conclamabant adversus pactiones exteras conclamabant eodem ore contra Religionem Christianam, tamquam esset Exterarum Nationum irruptionis in Sinas Instrumentum.

---

[8] Vide, si vacat, in *L'Universale*, Neapoli, 1946, pp. 1-17, orationem quam de his rebus mense februario eiusdem anni legeram in Instituto Universitario Orientali Neapolitano praesertim pp. 2-5.

Ast inde ab inita Republica anno 1912, et praesertim a fundata factione nationalistica seu Cuominttam (Kuomintang) anno 1927, quae hereditatem politicam a Patre Patriae Sun Yat-sen moriente (anno 1925) relictam prosequuta est, maximi conatus et quidem non omnino inutiles facti sunt ad pactiones inaequales abrogandas. Primus gressus factus est anno 1918 Versaliis in Conventu pacis ineundae post primum bellum europaeum at sine ullo fructu. Secundus vero anno 1922 in Conventu de Oceano Pacifico in urbe Washington cum fructu partiali. Tandem anno 1928 Sinensium ius libere et independenter statuendi vectigalia maritima primo a Statibus Foederatis, deinde ab aliis Nationibus agnitum est, et die 12 martii anni 1930 vim legis in praxi habere incepit. Circa quod tempus plures etiam « concessiones » e manibus sive Anglorum sive Belgarum ad Sinenses redierunt. Quo factum est ut durante hoc ultimo bello tum ex parte Italiae et Iaponiae tum ex parte Angliae et Statuum Foederatorum (die 10 octobris anni 1942) necnon et Galliae omnes « concessiones » et omnia iura exterritorialitatis abrogata sint atque deleta.

Hoc modo obstaculum aliud remotum est, quominus Sinenses Religionem Christianam amplecterentur; non enim amplius eis apparebit vir christianus et ecclesiasticus tamquam si esset quasi emissárius cuiusdam Gubernii exteri in medias Sinas immissus, ut falso quidem eum his ultimis annis accusabant qui nonnisi pactiones inaequales considerabant et privilegia christianis ab illis pactionibus promanantia. Nunc vero et ipsa rei apparentia sublata est.

* * *

Remotio obstaculorum est quidem necessaria sed sola non sufficit ad alicuius Ecclesiae particularis prosperitatem. Ad hanc autem obtinendam, positive requiritur ut ea omnia possideat quae eius stabilitatem, amplificationem ac fructificationem, possibiles ac vere probabiles reddant.

Cum autem Ecclesia sit societas perfecta, societas autem coalescat elemento materiali et formali, nempe populo christiano et ducibus eius, nemo est qui non videat necessitatem hinc multitudinis christifidelium illinc autem institutionis Hierarchiae Episcopalis.

Quoad multitudinem christianorum haec prae oculis sedulo habeantur. Res christiana et catholica incepta anno 1294 ope Ioannis a Montecorvino e franciscali familia et continuata per eiusdem religionis sodales usque ad medium saeculum XIV, penitus intercidit post annum 1368, ita ut, transactis duobus saeculis, ab imis fundamentis instaurari oportuit labente saeculo XVI, quando, duce illo vere mirabili viro, Alexandro Valignano, Patres Michaël Ruggieri et Mattheus Ricci aliique e Societate Iesu, denuo nomen catholicum in Sinas attulerunt lateque, immo usque ad utramque metropolim extenderunt ac ipsi Imperatori annuntiarunt. Inde factum est ut quando in tota amplissima Sinarum regione, quae maior est integra Europa, vix sexdecim essent praecones tum exteri tum sinenses, nempe anno 1610 quo mortuus est Ricci, Religio Christiana ubique nota et magni facta sit, et iam numerus christifidelium ad bis mille ac quingentos (2.500) fere excreverit. Hic autem numerus, decurrente saeculo XVII, continuo adauctus est, ita ut anno 1616 ad tredecim millia, anno 1650 ad centum et amplius millia et in fine saeculi, anno 1700, ad tercenta hominum millia pervenerit. Eodem fere tempore primi Sinenses sacerdotio aucti sunt; anno enim 1656 Louenzao [Lo Wentsao] e dominiciana familia, primus omnium Sinensium, Presbyter effectus est, eumque respective annis 1671 vel citius et anno 1688 sequuti sunt quatuor Sinenses e Societate Iesu.

Ast infelix Quaestio Rituum, ut iam antea innui, quae ab anno 1635 ad annum 1742 perduravit et tandem sensu negativo absoluta est; totalis suppressio Societatis Iesu anno 1773; persecutiones sive occultae sive manifestae; et alia non pauca quae hic dinumerare non vacat, effece-

runt ut Ecclesia Sinensis vitam gracilem nimis ac dixeris sanguine debilem, usque ad medium saeculum XIX duxerit, quando Sinenses volentes nolentesve ianuas proprias usquedum alienigenis clausas aperire debuerunt, pactiones cum exteris Nationibus ineuntes.

Circa annum 1850 christicolae in Sinis adnumerabantur tercenta ac viginti hominum millia (320.000) concreditique erant octoginta quatuor sacerdotibus exteris necnon centum ac triginta quinque sacerdotibus sinensibus. Plane « pusillus grex! » Secunda tamen medietate saeculi XIX novi praecones advenerunt ex Europa, non tantum viri sed et mulieres, quod quidem ultimum ante pactiones numquam evenerat, sed neque evenire potuisset.

Saeculo vero XX Sacrae Expeditiones apud Sinas mirabile habuerunt incrementum. Christifideles qui anno 1900 adnumerabantur septingenta quadraginta duo hominum millia (742.000), hodie vero adnumerantur tricies centena octoginta tria millia hominum (3.183.000), quibus addendi sunt septies circiter centena millia catechumenorum (655.000). Quorum catholicorum annuum incrementum, detractis etiam defunctis ac si qui sint apostatis, ascendit usque ad centum hominum millia.

Et haec quidem de elemento materiali. Quoad elementum formale autem, haec alia notabis. Praecones exteri qui anno 1900 non erant nisi octingenti octoginta sex (886) quorum longe maior pars ex Gallia, hodie fere tria virorum millia ac tercenti (3.300) extant venientes ex viginti circiter nationibus et viginti duabus religiosis familiis pertinentes. Exteris autem addebantur ex ipsa gente sinensi anno 1900 tantum quadringenti, hodie vero plus quam duo hominum millia (2.113). Qui omnes impigra adiuvantur opera ducentorum sexaginta duorum supra mille religiosorum virorum (1262), quorum maior pars (677), sinensium, et sex millium centum triginta trium religiosarum mulierum (6.133), quarum fere quatuor millia (3.853), sinensium.

At, quod in hac re praecipuum est, immutatio quoad

ipsos duces populi fidelis sedulo notanda venit. Dum saeculis anteactis non apparuerit in tota Historia nisi unus Episcopus Sinensis, hodie, postquam Pius XI, Pontifex ille et nomine et re Summus, qui ut Gigas eminet inter Pontifices huius aetatis, sex primos episcopos indigenas in Urbis templo Petriano die 26 octobris 1926 consecraverit, duodetriginta adnumerantur in Sinis Ordinarii ex stirpe sinesi, quorum unus et viginti charactere episcopali insigniti sunt. Tota vero regio Sinarum inpraesentiarum centum triginta septem complectitur ecclesiasticas circumscriptiones quarum novem et nonaginta ad Vicariatus Apostolici, ceterae vero ad Apostolicae Praefecturae gradum sunt evectae.

Quae cum ita sint, facile intelligitur cur regimen missionale in Sinis quod nullibi est quid permanens sed essentialiter transiens — oportuit in communem formam hierarchicam immutare, eo vel magis quod in aliis Expeditionum territoriis, ut verbi causa, in Iaponia et in India, citius haec forma immissa fuerit[9].

Quando Leo XIII anno 1886 Hierarchiam Episcopalem in India instituit, illic non numerabantur nisi decies ac quinquies centena millia (1.500.000) christianorum, et cum idem Pontifex anno 1891 etiam in Iaponia id fecit, non extabant nisi quadraginta millia (40.000) baptismo ablutorum. Immo, dum in Sinis, ut dixi, adsint hodie duodetriginta Ordinarii nativi, quorum unus et viginti sunt Episcopi, ac quatuordecim Vicariatus pastoribus sinensibus concrediti

---

[9] Narrabat quidam Episcopus e gente sinensi, abhinc annos prope viginti quinque, quando in Sinis omnes Episcopi erant alienigenae, diaconum quemdam sinensem in quodam amplo Vicariatu Apostolico regionis borealis Sinarum, cum, Ordinem Presbyteratus suscepturus, pararet periculum subeundum de Hierarchia Catholica, petiisse quandonam et in Sinis instauraretur Ecclesiastica Hierarchia Episcopis sinensibus constans. De qua re cum certior factus esset Vicarius Apostolicus, diaconum de insipientia ac nimia licentia mulctavit, ei moram imponens sex mensium antequam ad Presbyteratum ascenderet. *O tempora! O mores!*, certe commentatus esset latinus vates.

sint, in India et in Iaponia, tempore quo illic Hierarchica Episcopalis forma immissa est, ne unus quidem Praelatus numerabatur ex nativa stirpe ortus.

Ast die 18 februari huius anni 1946 et aliud accidit quod numquam antea acciderat, nempe unus ex Sinensibus Ordinariis, scilicet Thomas Tienchensin, Vicarius Apostolicus Zimtaovensis (de Tsingtao), simul cum pluribus aliis ex quinque orbis partibus convocatis in S. R. E. Cardinalium Collegium est cooptatus. Qui quidem Cardinalis, antequam Urbem relinqueret ad patriam rediturus, die 14 martii huius anni, enixis precibus petiit a Summo Pontifice ut Ecclesiasticam Hierarchiam introduceret in Sinas.

Permotus igitur hisce catholici nominis in Sinis incrementis, Pius XII die 11 aprilis anni 1946, decretum edi iussit quo Episcopalis Hierarchia in Sinis institueretur sicut et in ceteris orbis nationibus.

* * *

Vi igitur huius decreti viginti eriguntur ecclesiasticae provinciae, quae, si Moncuvanam (Mongoliam) et Manceuvensem (Manciuriam) excipias, non sunt nisi duodeviginti illae civiles provinciae quae extant in regione proprie dicta Sinarum. Sunt autem Hopeana (Hopé seu Hopeh), Sciantomensis (Sciantom seu Shantung), Sciansiana (Sciansi seu Shansi), Scensiana (Scensi seu Shensi), Cansuana (Cansu seu Kansu), Chiansuana (Chiansu seu Kiangsu), Nganhoeivensis (Nganhoei seu Anhwei), Honanensis (Honan), Secioanensis (Secioan seu Szechwan), Hupeana (Hupé seu Hupeh), Hunanensis (Hunan), Chiansiana (Chiansi seu Kiangsi), Cechiamensis (Cechiam seu Chekiang), Fuchienensis (Fuchien seu Fukien), Coamtomensis (Coamtom seu Kwangtung), Coamsiana (Coamsi seu Kwangsi), Coeiceuvensis (Coeiceu seu Kuichow) et Iünnanensis (Iünnan

seu Yünnan). Quarum Ecclesiasticarum provinciarum, si tamen excludas Secioanensem, urbs princeps efficitur sedes metropolitana. Sedi autem metropolitanae subduntur ecclesiae suffraganeae, quae ad numerum undeoctoginta ascendunt, quaeque nihil aliud sunt nisi eae quae hucusque ad gradum Vicariatus Apostolici evectae erant. Inde factum est ut qui antea Vicarii titulo ornati erant, nunc evecti sint ad gradum Episcoporum Residentialium eiusdem sedis ac antea. Sic eodem ictu immissae sunt in Ecclesiam Dei viginti sedes metropolitanae seu archiepiscopales et undeoctoginta sedes suffraganeae; quod si eis addatur Cathedralis Ecclesia Macaensis quae iam antea dioeceseos titulo decorabatur, tunc sedes episcopales in Sinis hodie sunt bene centum!

In efformandis his novis sedibus, peculiaris inveniebatur difficultas in latine effingendis nominibus sedium et sedentium si quando Sinenses sunt. Cum enim Sinenses suis peculiaribus signis seu « characteribus » huiusmodi nomina scribere soleant, quae quidem Latinis impervia sunt, cumque modus ea transcribendi in sermone europaeo latinus non sit, sed gallicus, anglus, vel id genus, et alius pro alia lingua sinensi qua efferuntur, oportuit invenire rationem quamdam qua huiusmodi nomina sive urbium sive hominum fere latina veste induta apparerent. Quod quidem fieri non poterat, si lingua Sinarum non esset nisi una seu communior videlicet « mandarinica ». et si litteris omnibus non daretur valor phoneticus quem habent in lingua Latii et quidem ut effertur Romae a Romanis huius temporis. Decuit ergo quam maxime ut in contextu latino non continuo apparerent voces quas nullus Latinus recte efferre vel scribere potuisset, ita ut Latinis viderentur « barbarae », ut v. c. Shantung, Szechwan, Kuichow et alia huiusmodi.

Alia difficultas aderat in secernendis ac distinguendis Episcopis Sinensibus qui eodem cognomine gaudent. Cum

enim cognomina sinensia valde pauca sint[10], et saepius unius tantum syllabae, accidit ut permulti idem habeant cognomen et non raro, si christiani sunt, etiam idem nomen baptismatis. Unde confusiones et aequivocationes infinitae. Quae ut vitentur, necesse fuit una cum cognomine conglutinare et nomen sinicum - nomen dico vere sinicum, non nomen baptismatis — quod plerumque duabus syllabis constat, ita ut integrum cognomen — omissis, simplicitatis causa, signis « aspirationis » tribus, vel rarius sive duabus sive etiam quatuor syllabis exprimatur, non secus ac cognomina europaea. Et hoc etiam opportunum valde visum est; quo enim plures dabuntur sacerdotes et episcopi sinenses eo maius periculum erit in confundendis eis, si hoc modo non distinguerentur.

* * *

De institutione Hierarchiae Episcopalis certe gavisi sunt omnes illi praecones qui viam ad eam straverunt tum sudoribus, tum sanguine, tum laboribus quibuscumque. Ipsi in tumulis suis exultaverunt certe cum viderent tan-

---

[10] Ineunte natione, centum cognomina satis erant quae totius populi familias complecterentur; at deinceps crescente numero addita sunt et alia non multa, quorum quaedam duplici constant littera seu syllaba. Libellus in Sinis valde notus cui titulus « Centum familiarum cognomina » re quidem vera non centum sed quadringenta quinquaginta quatuor (454) cognomina exhibet. GILES in *Chinese-English Dictionary* pp. [1]-[8] refert bis mille ac bis centum quinquaginta quatuor (2254) cognomina, quorum mille nongenta et duodeviginti (1918) una syllaba, ter centum sexdecim (316) duabus, septemdecim tribus, ac tria quatuor constant; addit tamen idem auctor fontem sinensem a quo ipse hauserat numerum duplo maiorem horum cognominum referre. Et re quidem vera fons iste continet quatuor millia cognominum ac sexcenta quinquaginta septem (4657), quorum tria millia ac triginta et octo (3038) unica constant syllaba. Qui autem prae oculis habet, iuxta rationem numericam a Gubernio sinensi die 17 martii anni 1937 prolatam, numerum totalem populi sinensis fere ad quater millies septingenties centena millia (466.785.800) ascendere, non poterit non huic rei translato sensu referre illud Ioannis (VI, 9): « Sed haec quid sunt inter tantos! »

dem Ecclesiam plantatam esse in Sinis et vita propria, stabili ac continua posse deinceps vivere [11]. Quod faxit Deus!

« Et nunc », exclamat Ecc.mus D. Celsus Costantini, « Sinensium est omnibus patefacere se pares esse fiduciae quam eis ostendit Iesu Christi in terris Vicarius » [12]. Quod quidem omnes qui Ecclesiam ut Matrem diligunt et quibus cordi sunt Sacrae apud Sinas Expeditiones, sperant fore ut eveniat. Ut autem eveniat oportet ut omnes utrius-

---

[11] Liceat hic testimonium afferre alicuius Presbyteri e Congregatione Missionis, cui nomen Castel, olim in Sinis praeconis, nunc vero in Gallia degentis, qui, audito nuntio de institutione Hierarchiae Episcopalis de qua hic sermo, epistulam gratulatoriam die 1 ian. anni 1946 Ecc.mo D. Celso Costantini misit; is vero eam pro sua in me humanitate mihi transmisit facultatem faciens eam hic adducendi: cui hinc debitae referantur grates. Est autem huiusmodi: « C'est avec une profonde émotion et avec une véritable fierté que nous avons appris récemment l'établissement de la Hiérarchie Catholique en Chine. La Chine n'est plus un pays de Missions ... Quand on réfléchit, c'est tout à l'honneur des nombreux missionnaires, d'avoir par leurs travaux préparé cet heureux résultat. Tous nos anciens missionnaires, de tous Ordres, qui dorment leur dernier sommeil à Chala ont dû frémir de joie dans leur tombe; en effet, le but n'était pas tant de convertir beaucoup d'âmes, d'en sauver d'innombrables, mais surtout de fonder l'Eglise en Chine ... Or la grande préoccupation des missionnaires était de multiplier les séminaires, pour obtenir un nombreux Clergé indigène; mais ces Prêtres indigènes se multipliant, postulaient l'Episcopat chinois, et en dernière analyse, la Hiérarchie, couronnée dans la personne d'un Cardinal Chinois. Ce Cardinal devenant Archevêque de Pékin, c'est la plus belle récompense que le Saint Siège pouvait accorder à notre Congrégation des Lazaristes. Cette nomination montre clairement que les missionnaires français de Pékin ont bien travaillé. Honneur à ceux qui ont préparé de si consolants résultats, et vous en êtes, Excellence, un des plus puissants ouvriers. Je m'associe à l'immense joie de l'ancien Délégué Apostolique de Pékin, sachant très bien les peines et les épreuves qui l'ont assailli à certains jours, et l'énergie, la droiture et le courage surnaturel qu'il lui a fallu pour les surmonter ... Je bénis Dieu de m'avoir accordé de vivre assez longtemps pour voir ce beau jour. Je ne regrette qu'une chose, c'est de n'être pas à Pékin, le jour de l'Intronisation du nouveau Cardinal-Archevêque, pour jouer au grand orgue, l'hymne papal et l'hymne national chinois ».

[12] « Adesso sta ai Cinesi di mostrarsi all'altezza del momento, rispondendo alla fiducia del Vicario di Cristo » (*La Gerarchia Episcopale in Cina* in *Ecclesia*, Roma, 1946, p. 364).

que cleri, exteri nempe ac nativi, suis Episcopis sint valde coniuncti eisque in omnibus pareant; nullius enim esset utilitatis exercitus militum cogere nisi ipsi suis ducibus se subiiciant animo sincero.

Sic igitur, sublatis obstaculis internis ac externis, aucto numero christifidelium ac praeconum tum ex externis nationibus tum praesertim ex ipsa sinensi gente, immo stabiliter constituta Hierarchia Episcopali, restat ut prospera quaeque Ecclesiae Sinensi adprecemur a D. O. M. Quod ratum esse velit Is, cui Pater aeternus gentes in hereditatem dedit, Ecclesiae Fundator, Christus Iesus, Deus et homo, Dominusque Noster. Amen!

PASCHALIS D'ELIA S. I.

SUMMARIUM DE MENDACIO

Amice postulatum est ut doctrina de mendacio, nuper in hoc periodico discussa (vol. 32-34), summatim, in usum scholarum, proponeretur. Substantia igitur argumenti nunc demum ita contrahitur, ut proportionibus ipsique digestioni materiae de mendacio in vulgatissimo opusculo A. M. Arregui S. I., *Summarium Theologiae Moralis* (Ed. 14, n. 426, pag. 245-6), quadantenus respondeat. Siquidem « alia est illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur, oratio »[1].

Mendacium: *a)* DEFINITUR *locutio contra mentem.* Locutio autem *non* est simplex actus physicus *sermocinationis*, seu externa signorum prolatio; quippe quae formatur per actum apprime moralem *asseverationis*: ille enim qui loquitur eo ipso *spondet* se sentire in animo id quod enuntiat; histrioni vero partes suas peragenti *mendum* illabi potest: mendacium nequaquam.

b) DISTINGUITUR *damnosum*, si cum intentione vel saltem praevisione nocumenti alieni, — *iocosum*, si ad delectandum, — *officiosum*, si ad emolumentum proprium vel alienum proferatur.

Restrictio mentalis est actus mentis realem prolatae sententiae sensum sibimet adulterantis per accommodativum phantasiae commentum.

Restrictio realis est determinatio sensus obvii sententiae ex adiunctis eidem extrinsecis.

Aequivocatio est petita ambiguitas sententiae.

---

[1] Cicero, *De officiis* II, x, 35.

Restrictio late mentalis est restrictio realis aut aequivocatio ex intento ita concinnata ut audiens peregrinum a mente loquentis sensum tribuat sententiae.

Eius malitia. — Genuinae locutioni imprimis intrinseca sunt tria bona; siquidem in ea exercentur fidelitas, sinceritas et veracitas. Mendacio vero, seu *vitiatae locutioni*, intrinseca sunt imprimis tria mala, supradictis bonis contraria, nempe *fidei violatio*, *simulatio* et *fallacia*, prout ex sequentibus patet:

a) Ille qui genuine loquitur ponit actum *fidelitatis;* tuetur enim fidem illam audientis quam invocat eo ipso quod mentem suam, utpote absconditam, eidem se communicare implicite stipulat. Ille vero qui mentitur, mentem *non suam* patefaciendo, invocatam fidem audientis violat; ponit igitur *actum perfidiae, formaliter inhonestum*, utpote intrinsece malitiosum, - inter *venialia* tamen adnumerandum, ex ipso genere *fidei*, cui opponitur.

b) Ille qui genuine loquitur ponit actum *sinceritatis;* aperiendo enim realem suam intentionem realemque suam sententiam, semetipsum exterius manifestat, qualis est interius. Ille vero qui mentitur, asseverando intentionem sententiamque irreales, exterius *se fingit* qualis non est interius; ponit igitur *actum simulationis*. Porro duplicitas intrinseca simulationi *non* est *formaliter inhonesta*, pro quanto voluntatis ipsius deordinationem sibi respondentem, vid. hypocrisiam, non necessario involvit. Attamen simulatio respondet hypocrisiae in ratione *materiae actus propriae;* et ideo semper habenda est saltem ut *materialiter inhonesta*, seu moraliter indecora, utpote connaturali simplicitati humanae actionis contraria. Sic et indecorum habemus opus, utcumque legitimum, carnificis.

c) Ille qui genuine loquitur ponit actum *veracitatis;* dum enim sententiam asserit, quam veram aestimat, *notificat* verum audienti. Ille vero qui mentitur asserendo sententiam, quam *falsam aestimat*, velit nolit, ponit actum fallaciae: natum videlicet in errorem inducere mentem

audientis. Porro error non est malum in ordine morali; ideoque de fallacia intrinseca mendacii iudicandum erit secundum regulas de damnificatione, ex quibus colligitur quod procuratio mali physici indirecte volita non semper est illicita. Fallacia igitur, seiunctim considerata, est elementum mendacii *non intrinsece* inhonestum, sed *per se tantum*, quippe quae per accidens licita fieri potest[2].

Restrictio mentalis non minuit obiectivam sententiae falsitatem; *addit* porro simulationi intrinsecae « aperti » mendacii *fucatam dissimulationem* mendacii oculis conscientiae loquentis; ansam insuper praebet multiplicandis mendaciis. *Restrictio late mentalis* participat de mendacio pro mensura effectivae suae fallaciae.

Unde resolves: 1. *Numquam* simpliciter *licet* mentiri; nec unquam in ordine rerum adest obiectiva necessitas *formalis mendacii*, seu perfidiae.

2. In raris casibus extremae perplexitatis, sublato per accidens fundamento relationum fidelitatis circa aliquod punctum conversationis, vir honestus, ex imperfecta prudentia, *moraliter cogi potest* ad *materiale* peccatum assertionis falsae, hic et nunc non perfidae, eligendum *prae formali* peccato per accidens inhaerente responso vero aliorsum inevitabili.

3. *Inculpate* tamen non admittetur hoc materiale peccatum *nisi* integra in affectu manserit *abominatio* simulationis et fallaciae; in effectu vero, extenuata quam maxime fuerit sermonis falsitas.

4. Recursus ad restrictionem late mentalem, in supra-

---

[2] Illud quod est intrinsece tale, id est *ex ipsa sua ratione*, nequit immutari per accidens: sicut actus caritatis, intrinsece bonus, nequit per accidens fieri malus; at contra, mutatis circumstantiis, simpliciter *desinet esse* actus caritatis. Illud vero quod est per se tale, id est *praescindendo a circumstantiis*, immutari potest per accidens; sicut eleemosyna per se bona est; mala vero per accidens fieri potest, si praevideatur incentivum fore inebriationis, quin exinde evanescat ratio propria eleemosynae, id est elargitionis impertitae ex animi compassione.

descripta morali necessitate, laudabilis esse poterit, quando prae sermone plene falso eo consilio eligetur, ut *sinceritas* discrete salvetur simul cum secreto obligatorio.

Praxis. Suadeatur fidelibus ut poeniteant de mendacio, etiam cum honeste visum ipsis fuerit moraliter necessarium; et ut sese praemuniant contra necessitatis illius occursum, prout ad prudentiam pertinet. Saepius animentur ad sustinenda incommoda pro veritate. Licet malitiae intrinsecae actui mendacio leves sint ex genere suo, indulgere tamen mendaciis habeatur ut indicium improbi morbosive animi, et ut petra offensionis in christifideli. Directus tandem affectus ad mendacium habeatur ut stigma diabolicum.

M. LEDRUS, S. I.

MONUMENTA

19 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Constitutio Apostolica

DE SEDE APOSTOLICA VACANTE
ET DE ROMANI PONTIFICIS ELECTIONE
(*AAS.* XXXVIII [4 febr. 1946] p. 65).

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vacantis Apostolicae Sedis disciplinam Romanique Pontificis electionem quae respicere viderentur disponere ac praescribere, iugiter, saeculorum decursu, Praedecessores Nostri sollemne habuerunt, ac proinde vigilanti cura incumbere et salubribus normis consulere sategerunt pergravi negotio Ecclesiae divinitus commisso, eligendi videlicet beati Petri Apostolorum Principis Successorem, qui hisce in terris Iesu Christi Domini Nostri et Salvatoris vices gerat universumque dominicum gregem supremus Pastor et Caput pascat et regat.

Cum autem hae de Romano Pontifice eligendo leges, procedentibus temporibus numero auctae, iam in unum collectae desiderarentur, cumque nonnullae, ob rerum vicissitudines, peculiaribus adiunctis minus accommodatae evasissent, Pius X v. m. Decessor Noster, quadraginta ab-

---

* Quae intra uncinos quadratos charactere diverso continentur sunt nova. Indicantur praeterea loci in quibus aliquid omittitur.

hinc annis, sapienti consilio eas, opportune selectas, in summam redigere decrevit, celeberrima edita Constitutione *Vacante Sede Apostolica,* die vigesima quinta Decembris anni millesimi nongentesimi quarti.

Interea vero Pius XI rec. mem. nonnulla huiusmodi Constitutionis capita iam immutanda esse censuit quemadmodum rerum temporumque ratio postulare videbatur; itemque Nos Ipsi animo reputavimus alia quoque, eadem de causa, esse reformanda.

Quapropter, re mature perpensa, certa scientia et de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hanc Constitutionem, quae eadem est ac illa a Pio X s. m. data, sed passim reformata, edere et promulgare statuimus, « qua — ut verbis utamur eiusdem Praedecessoris Nostri — Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, ac in Romano Pontifice eligendo unice utatur », abrogata idcirco Constitutione *Vacante Sede Apostolica,* prout a Pio X Decessore nostro fuerat lata.

Praesentis vero Nostrae Constitutionis capita haec quae sequuntur habeantur:

TITULUS I

DE SEDE APOSTOLICA VACANTE

Caput I

De potestate S. Collegii Cardinalium, Sede Apostolica vacante

1. Sedis Apostolicae vacatione durante, Sacrum Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur [1]. Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum,

[1] Pii IV Const. *In eligendis,* VII Idus Oct. 1562, § 6; Clem. XII Const. *Apostolatus officium,* IV Non. Oct. 1732, § 6.

dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur) coetus ipse Cardinalium duxerit (eadem vacante Ecclesia) exercendum [2].

2. Item praecipimus, ne S. Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; immo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat [3].

3. Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi, vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de Constitutionibus pontificiis, ad ordinandum negotium electionis Romani Pontificis latis [4]. [*Immo si quid contra hoc praescriptum fieri vel attentari forte contigerit, ipsum Suprema Nostra auctoritate nullum et irritum declaramus*].

4. Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem S. Cardinalium Collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat [5].

5. Pariter in casu urgentis negotii, quod, ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet [6].

---

[2] Clem. V in Conc. Viennensi, cap. 2, *Ne Romani* in pr. *de elect.*, I, 3 in Clem.

[3] Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri*, 24 Maii 1882.

[4] Clem. V cap. 2, *Ne Romani* in pr. *de elect.*, I, 3 in Clem.; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, XVII kal. Dec. 1621, § 20.

[5] Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri.*

[6] Greg. X in gener. Conc. Lugdun., cap. 3, *Ubi periculum*, § 1 *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 6.

CAPUT II

De Cardinalium Congregationibus

6. Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera *generalis*, sive totius Collegii, altera *particularis*, constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque Ordine, cum S. R. E. Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in Ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt[7].

7. Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus, quae sive ante, sive post coeptum Conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, seu ad S. Collegium Cardinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una Congregatione particulari decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum Congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum[8].

[8. *Cardinalium Congregationes generales in Aedibus Apostolicis Vaticanis habeantur, vel, si rerum adiuncta id postulent, in alio opportuniori loco, iudicio ipsorum Cardinalium, eisque praesit Cardinalis S. Collegii Decanus, vel, ipso impedito, Subdecanus*].

9. Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed secretis calculis dentur.

10. Inter generales Congregationes singulari mentione dignae sunt quae ante ingressum in Conclave habentur, eaedemque Congregationes praeparatoriae appellari possunt.

11. Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die [*post obitum Pontificis prudenti trium Cardinalium in unoquoque Ordine priorum et S. R. E. Camerarii iudicio statuendo*,] usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum Cardinali Camerario sententiam S. Collegii exquirere atque cum ipso quae necessaria vel opportuna iudicaverit,

---

[7] Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 7; Pii IV Const. *In eligendis* §§ 7 et 8.

[8] Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 7.

communicare, tum singulis Cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire, in rebus dubiis explicationes sciscitari, et opportuna proponere.

12. In memoratis Congregationibus generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt [9], [*rerum agendarum ordine prius cum Cardinalibus communicato*:]

a) In primis Congregationibus integre legenda erit praesens haec Constitutio, (*Om.* ...) eaque perlecta, iusiurandum ab omnibus Cardinalibus praesentibus iuxta praescriptam formulam [10] praestandum. Quod iusiurandum pariter emittere tenentur omnes alii Cardinales, qui serius ad locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam inceptis Comitiis.

b) Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent, quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt.

c) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis [*in Basilicam S. Petri*] transferatur, [*illic de more publicae fidelium venerationi exponendum.*]

d) Item Cardinales omnia opportune paranda curabunt,

---

[9] Clem. XII, Chirografo *Avendo Noi*, 24 Dec. 1732, n. 17.

[10] Formula iurisiurandi ab E.mis ac Rev.mis S. R. E. Cardinalibus praestandi:

« *Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolabiliter et ad unguem omnes et singulos Nos esse observaturos contenta omnia in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi secundi* De Sede Apostolica vacante et de Romani Pontificis electione, *quae incipit* Vacantis Apostolicae Sedis, *data die octavo decembris anni millesimi nongentesimi quadragesimi quinti.* (*Om.* ...) *Item promittimus, vovemus, et iuramus quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus iura* [spiritualia et] *etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere* [atque tueri et, si opus fuerit,] *vindicare numquam desistet.*

« *Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi secundi Constitutione* Vacantis Apostolicae Sedis *statutis, Nos* [religiosissime] *et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent,* [et in iis quae in Cardinalium Congregationibus, ante Conclave vel ipso durante habitis, de hac re acta vel decreta sint, itemque] *de iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur,* [scrutinium directe vel indirecte respicientibus,] *neque secretum praefatum quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili*

[*ut Pontificiae exsequiae per novem continuos dies persolvantur, et praefinient dies quibus sex priores habendae erunt*[11]]

e) Deputentur duo viri ecclesiastici, qui orationes *De Pontifice defuncto* et *De eligendo Pontifice* recitare debeant.

f) Constituatur dies, quo, si ab ipsis petatur, tum Legatis civilium Regiminum tum Equitibus Ordinis Hierosolymitani S. Collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem Legati nonnisi simul congregati admittantur, neque singulis facultas (*Om.*) concedatur S. Collegium adeundi.

g) Nominentur singulares duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissiones*: α) pro inquisitione de qualitatibus Conclavistarum eorumque approbatione[12], itemque pro eorum designatione, qui Conclavi qualibet ratione inservire debeant nec non pro ipsis servitiis ordinandis et moderandis; β) pro constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione[13].

h) Proponantur atque approbentur expensae Conclavis.

i) Epistolae Imperatorum, Regum aliorumque civitatum Moderatorum, item Nuntiorum relationes, omniaque alia, quae S. Collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

k) Perlegantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Sacro Cardinalium Collegio relicta.

l) Frangantur Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae (*Om* ...).

---

potestate, quovis praetextu, munus proponendi Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve hoc* Veto, *qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestituros* ».

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli Cardinales dicent:

Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro.

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

[11] Pii XI, Motu proprio *Cum proxime*, 1 Mart. 1922, n. 1.

[12] Pii IV Const. *In eligendis*, § 17.

[13] Pii IV Const. *In eligendis*, § 15; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 10.

m) Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur[14], [*nisi alicuius Cardinalis aetas vel infirma valetudo aliter suadere videantur*].

[*n*) *Constituantur dies et hora ingressus in Conclave*].

Caput III

De nonnullis peculiaribus officiis, Sede Apostolica vacante

13. *S. R. E. Camerarii* et *Poenitentiarii Maioris* officia non cessant per obitum Pontificis[15].

14. Si autem [*contigerit*] alterius vel etiam utriusque officii vacatio [*quo tempore Romanus Pontifex supremum diem obiit*], vel contingat ante novi Pontificis electionem, tunc [*in prima Congregatione generali, in priori casu*], vel in alia quae habebitur triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis officiis, vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui S. R. E. Camerarii vel Poenitentiarii Maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis, exquirantur, denturque per schedulas secretas, a Magistris Caeremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, praesentibus S. Collegii Secretario atque eisdem Caeremoniarum Magistris, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem maior pars votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse S. R. E. Camerarius vel Poenitentiarius Maior exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus[16]. Quod si forsan vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit Ordine dignior, vel, si eiusdem Ordinis, senior, [*optione videlicet ad Ordinem episcopalem, inter Cardinales istius Ordinis, elevatione autem ad sacram purpuram inter Cardinales aliorum Ordinum*].

15. Cardinali S. R. E. *Camerario*, vacante Sede Apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et prae-

---

14 Pii IV Const. *In eligendis*, § 13.

15 Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, § 1, *de elect.*, I, 3 in Clem.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 9; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 15.

16 Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, § 1, *de elect.*, I, 3 in Clem.; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 15; *Bened.* XIV Const. *In Apostolicae*, Idibus Apr. 1744, § 4.

habitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii. Hinc Cardinalis S. R. E. Camerarius, statim ac a secreti Cubiculi Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Vaticanum Palatium perget, ut ipsius possessionem, [*sicut, sive per se, sive per delegatum, utriusque quoque Palatii ad Lateranum et ad Castrum Gandulphi*], capiat ac eorum regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere, [*adstantibus Praelatis Clericis Reverendae Camerae Apostolicae, cum Secretario-Cancellario*], cuius est authenticum mortis actum conficere [17]; statuere, auditis Cardinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re Populum Romanum singulari Edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt.

16. Cardinalis autem S. Collegii *Decani* erit, vix dum ab eodem secreti Cubiculi Praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significare, eosque ad Palatium Apostolicum advocare, [*itemque Pontificis mortem communicare cum exterarum Nationum Oratoribus, nec non cum iis qui ipsarum supremo potiuntur imperio*].

17. *Poenitentiarius Maior* eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valeant, [*quae a fel. rec. Pio XI constituta ac definita sunt*] [18].

18. [Cancellarii S. R. E. *officium per obitum Romani Pontificis non expirat: Apostolicarum tamen sub plumbo Litterarum per eum expeditio, vacante Apostolica Sede, suspenditur*]. *Datarii* vero ministerium per eiusdem Pontificis obitum omnino expirat [19].

19. Item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis *Secretarii Status*, eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus *S. Collegii Secretarius*. [*Quod si hoc officium iam vacaverit, vel ipsa Sede Apostolica vacante, vacare contingat*], eiusdem

---

[17] Pii XI Const. *Ad incrementum*, 15 Aug. 1934, n. XCVIII.

[18] Const. *Quae divinitus*, 25 Mart. 1935, n. 12; cfr. Benedicti XIV Const. *Pastor bonus*, Idibus Apr. 1744, §§ 51-55.

[19] Pii IV Const. *In eligendis*, § 11.

S. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet Sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare.

20. E contra *Cardinalis in Urbe Vicarii* officium et iurisdictio non exspirant morte Romani Pontificis. Quod si ipsum Vicarium Urbis, Sede vacante, e vivis decedere contigerit, ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc exsistens Vicesgerens, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem, quae idem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet[20].

21. Item *Legatorum, Nuntiorum* ac *Delegatorum Apostolicorum* officium et potestas non cessant Sede vacante.

22. Probe autem scientes eo maximo tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et caritatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideo sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti Pontificis *Eleemosynarius secretus* id muneris exercere pergat cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in subventionem eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine Prioribus, seu deputatis expediantur[21].

[23. *Sede Apostolica vacante, universa civilis potestas Romani Pontificis circa regimen et gubernium Status Civitatis Vaticanae spectat ad S. Cardinalium Collegium, quod tamen leges condere non poterit, nisi urgente necessitate et pro tempore vacationis Sedis, in posterum tantum valituras si novus Pontifex eas confirmare statuerit*[22]].

---

[20] Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 17.
[21] Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 25.
[22] Legge fondamentale dello Stato della Città del Vaticano, 7 giugno 1929, n. 1.

Caput IV

De Sacris Romanis Congregationibus et Tribunalibus eorumque facultatibus Sede Apostolica vacante

24. Circa facultates Sacrarum Romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

25. Sacrae Congregationes, eadem Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SS.mo*, vel *ex audientia SS.mi;* vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum*, quae a Romano Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

26. Facultates vero quae ipsis per Litteras apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte Romani Pontificis non extinguuntur.

27. Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis Sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus ut, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino: sin autem nullam admittat moram, tunc S. Collegio concedimus ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint [23].

28. Tribunal S. R. Rotae et Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae Sede vacante ius dicere pergunt iuxta leges sibi proprias, servatis tamen quae cann. C. I. C. 244 § 1 et 1603 § 2 praescripta sunt.

---

[23] Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 18.

Caput V

De exsequiis Romani Pontificis

29. Romano Pontifice vita functo, Cardinales exsequias pro eius anima de more per novem continuos dies persolvent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incidat, propter cuius observantiam exsequiae intermittendae videantur, [*vel etiam causa quaedam vere gravis et urgens occurrat quae prudenti Cardinalium iudicio exequiarum ordinem suspendere cogat: exsequiae autem forte intermissae erunt resumendae, si tempus sufficiat*]. Tribus vero postremis diebus solemniori ritu exsequiae ipsae celebrabuntur; et ultimo earumdem exsequiarum die a viro ecclesiastico ad hoc deputato habebitur oratio *De Pontifice defuncto.*

30. [*Tumulationis authenticum instrumentum, si ipsa fiat in Basilica Vaticana, Notarius conficiet Capituli eiusdem Basilicae. Postea vero Clericus unus Rev. Camerae Apostolicae nec non delegatus aliquis a Praefecto secreti Cubiculi defuncti Pontificis separatim documenta conficiant quae fidem faciant peractae tumulationis, primus coram Reverenda Camera Apostolica, alter coram Praefecto Cubiculi*[24].

31. *Si contingat Romanum Pontificem extra Urbem supremum diem obire, S. Cardinalium Collegii erit omnia opportune disponere pro digna ac decora translatione cadaveris ad Vaticanam Basilicam S. Petri*].

TITULUS II

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

Caput I

De electoribus Romani Pontificis

32. Ius eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu[25].

---

[24] Cfr. Pii XI Const. *Ad incrementum,* n. C.

[25] Pii IX Const. *In hac sublimi,* x kal. Septembr. 1871 et *Consulturi,* 10 Oct. 1877; Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri.*

33. Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, cuius acta quae quomodocumque privativum ius Sacri Cardinalium Collegii auso temerario labefactare viderentur, ipso iure irrita declaramus, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum Concilium in quibuslibet statu et terminis exsistat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, sub poena nullitatis eorumdem, nec ob quamlibet causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit [26].

34. Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus [27].

35. Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus et publicatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de mo-

---

[26] Pii IX Const. *Cum Romanis Pontificibus*, pridie Nonas Dec. 1869; Cod. I C. can. 229.

[27] Clem. V, cap. 2, *Ne Romani*, § 4, *de elect.*, I, 3 in Clem.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 29; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 22.

destia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur [28].

36. Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati cardinalitiae, consentiente Romano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest S. Collegium restituere et habilitare Cardinales per Papam privatos seu depositos, ne ad vocem quidem [29].

[37. *Statuimus etiam, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes Cardinales expectare debeant absentes per quindecim tantummodo solidos dies, facta tamen potestate S. Cardinalium Collegio ingressus in Conclave etiam per alios duos tresve dies proferendi, ea tamen lege ut decem et octo ad summum diebus elapsis* [30]], quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur, Cardinales, quotquot praesentes aderunt, statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere teneantur [31].

38. Si tamen Cardinales absentes supervenerint, re integra, id est antequam Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur [32].

39. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per Cardinalem Decanum, vel, ipso impedito, per alium Cardinalem, de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento, a S. Cardinalium Collegio recognoscendo, detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant [33].

40. Si quis vero forte Conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmitatis causa iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium approbata, exiverit; tunc, ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e Conclavi exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, pot-

---

[28] Pii V decr. die 26 Ian. 1571; Caeremoniale Greg. XV, § *Porro*; Cod. I. C. can. 233, § 1.

[29] Bonif. VIII, cap. un., *de schismatic.*, V, 3 in Sext.; Pii IX Litt. *Quamquam*, 29 Septembris 1867.

[30] Pii XI Motu proprio *Cum proxime*, n. 1.

[31] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, §§ 2, 3, 5.

[32] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext.

[33] Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri*.

erit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad Conclave, post sanitatem sibi redditam, seu ante, redire voluerit, rursus admittatur[34].

41. Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat[35].

[42. *Tandem ut normae iam traditae*[36] *de ratione vestimentorum quibus S. R. E. Cardinales, Sede vacante, uti debent, hic opportune recolantur, haec quae sequuntur sunt animadvertenda. Habitus quem vocant* cardinalitium, *eadem Sede vacante, violaceus erit et laneus, sicuti et cappa; eiusdemque coloris fascia serica cum floccis aureis, collare, et caligae; rochetum adhibebitur simplex, opere pinnato ornatum, tum in ore, tum in extremis manicis, quod tamen trium centimetrorum altitudinem non excedat; mozzeta sine mantelleto supra rochetum induatur; pileolum et biretum erunt rubri coloris, sed ex lana; galerus usualis rubeus; calcei nigri. Cardinales ex Ordinibus monasticis et mendicantibus assumpti, habitum sibi proprium de more adhibebunt.*

In Congregationibus generalibus quae ante Conclave celebrantur, Cardinales uti debebunt rocheto et mozzeta; itemque rocheto et mozzeta durantibus scrutiniis in Conclavi: in sacris functionibus quae Cappellae vocantur, cappam induent].

Caput II

De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus

43. Cuilibet Cardinali in Conclavi liberum sit duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, uti; liceat tamen unum tantum eumque laicum in Conclave secum adducere[37]: infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte S. Collegii, vel a Cardinali S. R. E. Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest[38].

---

[34] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext,; Pii IV Const. *In eligendis*, § 4.
[35] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 17.
[36] S. Congr. Caeremonialis, *Norme ceremoniali per gli E.mi Signori Cardinali*, 6 Gennaio 1943, n. 33.
[37] Pii XI Motu proprio *Cum proxime*, n. II.
[38] Pii IV Const. *In eligendis*, § 16.

44. Conclavistae Praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, neque eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae: [*iis autem omnibus nefas esto in Conclavi aliis Cardinalibus deservire, quamvis cum istis nullum sive consanguinitatis sive affinitatis sive religionis habeant vinculum*]. Et de qualitatibus Conclavistarum, [*qui integritate morum, singulari prudentia et insigni erga S. Sedem religione debent esse conspicui*], Cardinales deputati ante ingressum in Conclave diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent [39].

45. Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formulam [[40]] edi debet, serio ac religiose, pro rei gra-

---

[39] Pii IV Const. *In eligendis*, § 17.

[[40]] Formula iurisiurandi a Magistris Caeremoniarum atque ab omnibus aliis Conclavistis ecclesiasticis praestandi, una vel altera die ante ingressum in Conclave, [*coram S. Collegii Secretario, Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto adstante*,] ad rem deputatis:

« Ego . . . .
constitutus coram te . . . .
tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me positis, promitto et iuro me inviolabile servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione [in Cardinalium Congregationibus acta vel decreta sint] *et in Conclavi seu in loco electionis aguntur,* [scrutinium directe vel indirecte respicientia,] *quaeque omnia quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet, ipsum mihi violare liceat;* [itemque promitto et iuro me nullo modo in Conclavi usurum esse instrumentis quibuslibet ad vocem transmittendam vel recipiendam, vel ad imagines luce exprimendas quovis modo aptis,] *et hoc nedum sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, privative etiam quoad S. Poenitentiariam, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendae in casu trangressionis. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem, nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut expressa dispensatio mihi concessa fuerit.*

[« Pariter promitto et iuro nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi *Veto* seu *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturum, ipsumque hoc *Veto*, qualibet ratione mihi cognitum, patefacturum, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis Cardinalibus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante ingressum in Conclave, sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordi-

vitate, praestent. Quam ob rem S. R. E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

---

nis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestiturum.]

« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus tango ».

Formola del giuramento per i Conclavisti ed altri inservienti laici:

« Io . . . .
stando dinanzi a . . . .
toccando colle mie proprie mani i Santi Evangelî, prometto e giuro che osserverò rigoroso e inviolabile segreto su tutto e singole quelle cose, le quali in qualunque modo venissi a conoscere, circa l'elezione del nuovo Pontefice, trattate e definite nelle Congregazioni dei Cardinali, come pure nel Conclave o nel luogo dell'elezione, riguardanti direttamente o indirettamente gli scrutini, e che non violerò in alcun modo questo segreto, nè direttamente, nè indirettamente, nè con parole, nè con scritti, nè con segni, od in altra qualsiasi guisa; inoltre prometto e giuro di non usare nel Conclave di apparecchi radio, di telefono, microfono o di qualsivoglia altro strumento trasmittente o ricevente, e di non usare neppure di macchine fotografiche e cinematografiche, e ciò non solo sotto pena di scomunica, riservata in modo speciale al futuro Pontefice, ad esclusione anche della Sacra Penitenzieria, e da incorrersi senz'altra dichiarazione col solo fatto della violazione del giurato segreto, ma pure sotto altre pene anche gravissime che la stessa Santità Sua potrà infliggermi in caso di trasgressione. Il qual segreto io prometto e giuro che manterrò coscienziosamente anche dopo avvenuta l'elezione del nuovo Pontefice, a meno che non mi venga su ciò concessa dal medesimo Pontefice una espressa e speciale facoltà di parlare.

« Parimente prometto e giuro che non riceverò in nessuna maniera e da nessuna potestà civile, sotto qualsiasi pretesto, l'incarico di proporre il Veto *o* Esclusiva, *anche sotto forma di semplice desiderio, e che non manifesterò questo* Veto, *in qualunque modo da me conosciuto, nè dinanzi a tutto il S. Collegio dei Cardinali, riunito, nè ai singoli Cardinali, nè per iscritto, nè a voce, nè direttamente e prossimamente, nè indirettamente o per mezzo di altri, nè prima dell'ingresso nel Conclave, nè esso durante, e che non presterò mai aiuto o favore a qualsiasi intervento, intercessione o altro modo qualsiasi col quale le autorità civili di qualunque grado ed ordine volessero immischiarsi nell'elezione del Romano Pontefice.*

« Così Dio mi aiuti e questi Santi Evangeli, che tocco colle mie mani ».

46. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes, e Conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iureiurando probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt; sed eorum loco, [*si necessitas ferat*], alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt [*legitime adprobati et admissi, ac iurisiurandi religione iam adstricti*] ingrediantur[41].

47. Item si quem Cardinalem in Conclavi vita fungi accidat, ipsius Conclavistae statim e Conclavi exire debent neque ad alterius Cardinalis famulatum in eodem Conclavi assumi poterunt[42].

48. S. Collegiii quoque Secretarius, itemque Sacri Palatii Apostolici Sacrista cum uno vel pluribus, ad S. Collegii arbitrium, Clericis coadiutoribus in officio Sacristiae, [*nec non Praefectus Apostolicarum Caeremoniarum*] et Magistri Caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi.

49. Adsint praeterea unus Religiosus pro confessionibus excipiendis, duo Medici, unus Chirurgus, unus Aromatarius cum uno aut duobus servientibus, qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali S. R. E. Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi; aliique Conclavis utilitati atque commoditati servientes, qui tamen plures esse non debent quam quod necessitas postulaverit[43], [*quique a Cardinalium Commissione eligentur* (*cfr. n.* 12*g*)].

Caput III

De ingressu in Conclave[44]

50. Exsequiis defuncti Pontificis, ut supra, persolutis, et interim Conclavi opportune praeparato, Cardinales, die statuta, in Basilicam Sancti Petri, vel alio pro temporis et loci opportunitate, conveniunt, ubi per Decanum S. Collegii, vel eo impedito per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa *de Spiritu Sancto* celebratur, et in fine per aliquem Praelatum aut

---

[41] Pii IV Const. *In eligendis*, § 24.

[42] Clem. XII Chirogr. *Avendo Noi*, n. 16.

[43] Pii IV Const. *In eligendis*, § 18; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 13.

[44] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

alium virum ecclesiasticum doctum habeatur oratio, qua moneantur, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere, omni qua possunt brevitate e diligentia curent.

51. Re divina peracta, statim, vel, si Patribus potius libuerit, vespere, fit ingressus in Conclave. Magister Caeremoniarum Crucem Papalem ferens, procedit: quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi, [*omnes vestibus et mozzeta violaceis laneis cum fascia serica eiusdem coloris et rocheto simplici induti*]: Crucem praecedunt Familiares Cardinalium, et immediate Cantores Hymnum *Veni, Creator Spiritus* cantantes: post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita ordine procedentes, Conclave ingrediuntur, et cum ad Cappellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem *Deus qui corda fidelium;* [*qua finita et ab Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto intimato* extra omnes *a Sacello*], praesens Constitutio (*Om* ...) (praetermissis iis, quae nonnisi res iam peractas respiciunt) iterum legitur; ac iusiurandum, iuxta superius praescriptam formam, ab omnibus Cardinalibus rursus emittitur. Deinde Cardinalis Decanus Cardinales omnes brevi sermone convenientibusque verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur.

52. [*His omnibus absolutis*], Praelatus secreti Cubiculi Praefectus, [*qui est Gubernator Conclavis*], et Mareschallus perpetuus S. R. E., [*qui Conclavis est Custos*], iusiurandum emittere debent iuxta statutas formulas [45] coram Cardinali Decano, praesentibus omnibus Cardinalibus, idemque praestant Praelati, quibus Rotarum Conclavis custodia concreditur, [*videlicet, Archiepiscopi et Episcopi Pontificio Solio Assistentes, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores*

---

[45] Formula iurisiurandi a Praelato Gubernatore Conclavis et a Praelatis quibus custodia Rotarum Conclavis committitur:

[« Ego . . . .
spondeo, voveo et iuro officio meo diligenter ac religiose me esse functurum, secundum praescripta apostolica et normas traditas a Sacro Cardinalium Collegio.]

« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Formola del giuramento per il Maresciallo-Custode:

« Io . . . .
prometto e giuro di compiere con religiosa fedeltà e diligenza il mio ufficio, secondo le norme stabilite dai Sommi Pontefici e le disposizioni date dal Sacro Collegio dei Cardinali

« Così Dio mi aiuti e questi Santi Evangeli ».

S. R. Rotae et Praelati Clerici Reverendae Camerae Apostolicae] 46.

53. His expletis, Cardinales ad cellas, sorte inter eos distributas, divertunt, [*exceptis Cardinalibus in unoquoque Ordine prioribus et Cardinali S. R. E. Camerario, qui in Sacello remanent ut ad clausuram Conclavis procedant*].

Interim vero Officiales Conclavis et alii in Conclavi servientes iusiurandum iam emissum (cfr. n. 45) iuxta praescriptas formulas iterum praestant [*coram S. Collegii Secretario, adstante Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto*], ad rem deputatis a Cardinali S. R. E. Camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum emittendum est [47].

54. Tandem postquam ter, iussu Cardinalis Decani, campanula personata fuerit, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, [*facibus*] accensis, tres Cardinales Capita Ordinum et S. R. E. Camerarius, una cum [*Secretario Conclavis*], Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto [*et Magistris, nec non Architecto Conclavis*], latebras et angulos omnes Conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit; post haec autem Conclave intus claudatur et claves Cardinali S. R. E. Camerario et Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto (*Om* ...) concredantur. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium et alii Officiales et Ministri Conclavis, quos superius recensuimus; omnium autem istorum Conclavistarum recognitio fieri debet, ne quis inter illos forte sit ex iis, qui in Conclavi esse non possunt: quae recognitio, ut certius fiat, iubentur Conclavistae omnes intrare Cappellam, et postea singillatim recensentur.

[55. *Eodem tempore quo intus, Conclave et extra claudatur a Gubernatore et a Mareschallo Conclavis, cum suo uniuscuiusque comitatu, necnon a Decano Praelatorum Clericorum Reverendae Camerae Apostolicae cum Secretario-Cancellario, a Cardinali S. R. E. Camerario deputato, cum Magistris Caeremo-*

---

46 Pii XI Const. *Ad incrementum*, nn. XXXVII, LXX, CIII.

[47] Formula iurisiurandi a Secretario S. Collegii et ab Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto praestandi eadem est ac formula iurisiurandi ab aliis Conclavistis ecclesiasticis emittendi (n. 45, not. 4), praeter initium quod ita habebitur:

« *Ego* . . . . *tactis SS. Dei Evangeliis coram me positis, promitto et iuro fidelem in omnibus et singulis me futurum Sacro Cardinalium Collegio et diligenter ac religiose officio meo esse functurum.*

« *Item promitto et iuro me inviolabile*, etc. ».

niarum et Architectis, debitis antea adhibitis diligentiis et explorationibus: claves autem Mareschallo-Custodi adsignentur].

[56. *Utriusque peractae clausurae instrumentum respective conficiatur, unum a Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum, a Secretario Conclavis et ab ipso Caeremoniarum Praefecto, Notarii munere fungente, subsignandum, testibus adhibitis duobus Caeremoniarum Magistris; aliud ab aliquo e Praelatis Clericis Rev. Camerae Apostolicae simul cum Secretario-Cancellario a Cardinali S. R. E. Camerario deputatis, et quidem in aedibus Mareschalli Conclavis, adstantibus et subscribentibus ipso Mareschallo, Praelato Gubernatore Conclavis, Commissario Generali eiusdem Conclavis, qui debet esse unus e Collegio Advocatorum Aulae Consistorialis*[48], *et Gubernatore Civitatis Vaticanae*][49].

Caput IV

De clausura Conclavis, ac de secreto servando in iis omnibus quae in Conclavi aguntur

57. Electio Summi Pontificis fieri debet in Conclavi, et eo clauso[50], sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta.

58. Tenentur quoque Cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas Cardinalium et alia Conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne Conclavis clausura ullo modo violetur. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores e Conclavi expellantur et gravibus poenis futuri Pontificis arbitrio plectantur[51].

59. Clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus vel aliis in Conclavi partem habentibus admittantur, nisi praesentibus Praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus existat[52].

60. Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta,

---

[48] Bened. XIV Const. *Inter conspicuos*, IV kal. Septembr. 1744, § 31.

[49] Cfr. Pii XI Const. *Ad incrementum*, n. CII.

[50] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 1.

[51] Pii IV Const. *In eligendis*, § 15.

[52] Greg. X cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 19.

etiam typis edita, tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. [*Ab hac regula tamen excipitur litterarum commercium, quod liberum erit atque expeditum, inter Officium Sacrae Poenitentiariae et Cardinalem Poenitentiarium Maiorem in Conclavi degentem; eaeque litterae, sigillo Officii munitae, nulli examini et inspectioni erunt obnoxiae*[53]]. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave et in Conclave mittantur. Qui vero contra [*omnia superius enunciata*] fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant[54].

61. Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. Cardinalibus quam pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur[55], ita ut hanc legem violantes excommunicationem latae sententiae incurrant, a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda, poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possint[56].

62. Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis Familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus, sive ante Conclave sive ipso durante habitis, [*de Pontificis electione*] acta vel decreta sint.

63. Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. Cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam

---

[53] Pii XI Const. *Quae divinitus*, n. 12.

[54] Greg. X cap. 3, *Ubi periculum*, § 1, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 20; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 11.

[55] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 20.

[56] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 19.

post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in Conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in conclavi gesta sint, cognoverint.

[64. *Tandem, ut secreto servando strictius consulatur, omnino prohibemus ne in Conclave introducantur, sub quocumque praetextu, instrumenta quae dicunt telegraphica, telephonica, microphonica, radiophonica, photographica, cinematographica et alia huiusmodi*].

Caput V

De forma electionis [57]

65. Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte Conclave, ac post solitum campanulae sonum, conveniunt Cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, (*Om ....*) ad designatum Sacellum, et ibi celebrata consueta Missa, et facta Cardinalium Communione, [*qui se a Sacro peragendo quavis de causa sponte abstinuerint* [58]] ac postea a Sacrista recitato Hymno *Veni, Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, [*necnon a Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum instrumentis perlectis utriusque Conclavis clausurae*], statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem uno tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

66. Primus modus est, qui quasi *per inspirationem* vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce, libere ac sponte Summum Pontificem proclamant; circa quem modum infrascripta notanda sunt.

Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in Conclavi, et eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus, etiam iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse

---

57 Cfr. Caeremoniale Greg. XV.
58 Pii XI Motu proprio *Cum proxime*, n. III.

huiusmodi. Si quis e Patribus clauso Conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: « Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate Reverendissimi Domini *N.* iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam ». Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut, si non potest, in scriptis expresso, eumdem *N.*, de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse *N.* esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem.*

67. Secundus modus est *per compromissum*, quando scilicet [*in quibusdam peculiaribus rerum adiunctis*], Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore, cuius formae praxis debet esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus (i. e. in tres vel quinque vel septem, non in minorem vel maiorem numerum) compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini, Amen. Anno etc. mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet *N. N.* (et singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer nemine discrepante. eligimus compromissarios *N.*, *N.* et *N.* Cardinales, etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet » (Hic necesse erit ut Cardinales Compromittentes exprimant modum et formam secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant S. Collegio personam ab ipsis nominandam ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso debet tempus, ad quod usque volunt Cardinales potestatem Compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: « Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. Compromissa-

rii secundum formam praedictam duxerint eligendum », vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accommodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, Compromissarii ad partem in aliquo loco separato et clauso se conferunt, et de electione facienda tractant, et debet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio necessaria est inter Compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio, uti possint.

Tertio, facta per Compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et in Conclavi promulgata, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

68. Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium*. Qua in re plenissime confirmamus legem iam latam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est ut [*ad validam Romani Pontificis electionem requirantur*] duae saltem ex tribus partibus suffragiorum [59], [*eandem tamen modo innovamus quatenus decernimus ut duabus ex tribus suffragiorum partibus unum insuper addatur suffragium, alioquin electio sit ipso iure nulla atque irrita, ita ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium, uno plus*], in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint.

[*Quod autem decretum inducendum et observandum iubemus ut quaelibet praecaveatur occasio dubitandi ne in duabus tertiis partibus suffragiorum suffragium ipsius Electi numerari queat*], cum nemo unquam sive scrutinii sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari [60].

69. Scrutinii autem ritus continet tres actiones: alteram, quae *antescrutinium*, alteram, quae *scrutinium*, et tertiam, quae *post-scrutinium* appellari potest.

70. *Antescrutinii* actus sunt quatuor, videlicet: praeparatio schedularum; extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum, per sortem; scriptio schedularum; earum complicatio. (*Om* ...).

---

[59] Alex. III in Concil. Later. cap. 6, *Licet de vitanda, de elect.*, I, 6; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 1.
[60] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 2.

71. Schedularum praeparatio et distributio ad Magistros Caeremoniarum pertinet, qui eas (*Om.*) singulis Cardinalibus saltem duas vel tres distribuent.

72. Forma autem schedulae, quoad eius figuram attinet, erit altera parte [*latior hoc est plus lata, quam longa*]. (*Om* ...). In medio autem anterioris eius partis, continere debet haec verba, typis impressa, ubi fieri potest, alioquin unius manu scripta:

Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem . . . .

(*Om* ...). Exemplar ergo huius schedulae scrutinii hoc erit:

Eligo in Summum Pontificem Rev.mum
D. meum D. Card. . . . .

73. Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum, et Recognitorum: quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scrutatores tres, postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, ac tandem Recognitores, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione Scrutatorum, Infirmariorum et Recognitorum, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum, extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

74. Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio. Hic, antequam, videlicet, Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, Secretarius S. Collegii et Magistri Caeremoniarum debent ab aula discedere, ita ut tempore scrutinii Cardinales soli in Cappella remaneant.

Porro, post eorum egressum ex aula, ultimi Cardinalis ordinis Diaconorum erit ostium Cappellae claudere: ac generatim ipsum, quotiescumque opus fuerit, aperire et claudere, exempli gratia, quum Cardinales Infirmarii ad vota infirmorum colligenda pergunt ac postea quum ad Cappellam redeunt, vel ob quamcumque aliam necessitatem. (*Om* ...).

75. Schedularum scriptio ab unoquoque Cardinali secreto

fiet, in media parte schedulae scribendo nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis facile cognosci possit; et caveat ne plura nomina in schedula scribat, quia suffragium esset nullum.

Exemplar schedulae scriptae esto:

Eligo in Summum Pontificem Rev.mum
D. meum D. Card. Baronium

76. Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae fiet in medio uniuscuiusque schedulae, ita ut schedula ipsa fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex figura, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest. (*Om* ...).

Eligo in Summum Pontificem Rev.mum
(*locus plicaturae*)
D. meum D. Card. Baronium

Haec de antescrutinio sufficiant; ceterum, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

77. Sequitur secunda actio, quae nomine *scrutinii* appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iurisiurandi praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum depositio seorsum.

78. Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexionem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis, [*ordine praecedentiae servato*], propriam schedulam, postquam illam scripserit (*Om* ...) et complicaverit, duobus primis digitis dexterae manus sumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus; ibique genuflectens, aliquantulum orabit; deinde surgens, alta et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabella super Altari posita descripta habetur:

Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere.

Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad Altare, et ad suum locum revertetur.

79. Haec servanda erunt, si Cardinalis ad Altare pergere

possit: nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in Cappella sit, ultimus Scrutator ad eum accedet; et Cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo, secreto, ut supra dictum est, confecerit, praevio iureiurando praedicto, ipsam (*Om*...) complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, et sine oratione et iureiurando in patenam ponet, et per eam in calicem mittet.

80 Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales possint eam inanem et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super Altare; deinde Infirmarii cum capsula clausa, et cum parvo disco sufficientes schedulas continente, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secreto scribent (*Om*...) et complicabunt, et praevio iam dicto iureiurando in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, sive aliquis ex tribus Cardinalibus Infirmariis, sive alius ex ordine tamen clericali, [*cuiuslibet Cardinalis infirmi*] vel Infirmariorum arbitrio deligendus, praestito de secreto servando in manibus ipsorum Infirmariorùm iureiurando[61], praedicta faciet: atque hi advertere debent quod non solum iurisiurandi vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Cappellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi; ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem.

Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere et in calicem ponere, deinde dum ceteri Cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.

---

[61] Formula huiusmodi iurisiurandi haec erit:

« Ego N. spondeo, voveo ac iuro me fideliter impleturum munus ab E.mo Cardinali N. mihi commissum schedulam eius nomine et vice conscribendi, et inviolabile secretum semper servaturum de iis quae in ea continentur, sub poenis in Constitutione Pii XII Vacantis Apostolicae Sedis, *diei octavi Decembris anni millesimi nongentesimi quadragesimi quinti statutis.*

« Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

81. Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum Scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

82. Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, idest secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

83. Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam, fiet hoc modo. Primus Scrutator accipiet unam schedulam, eamque (*Om*...) explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium: notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, a Scrutatoribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigentur, vel in separato folio notabuntur, hoc modo: *Reverendissimus D. Cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus D. Cardinalis B habet suffragia 15,* et sic de aliis; quod fit ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina Cardinalium notarunt.

84. Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipsae cautius conservari possint excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum **Eligo**.

85. Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum Scrutatorem,

qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.

86. Sequitur tertia et postrema actio, quae *postscrutinium* appellata fuit, cuius actus tres sunt, videlicet: numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio.

Primus itaque actus est numeratio suffragiorum, quae fiet per Scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non: et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, et si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum, [*uno insuper addito suffragio*], pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio; [*si vero invenerint aliquem ex nominatis duas saltem tertias partes suffragiorum, uno insuper addito suffragio, obtinuisse, electio Papae habetur, et quidem canonice valida*]. (*Om....*).

Secundus actus postscrutinii est recognitio, quae per Recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint.

Tertius, et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per Scrutatores fiet, statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non, [*antequam Cardinales discedant ab aula, arcessitis interim ab ultimo Cardinali Diacono, et adiuvantibus, Secretario Conclavis et Praefecto cum Magistris Caeremoniarum*]. Si tamen secundum scrutinium, iuxta ea quae inferius praescribentur, peragendum sit, tunc combustio schedularum primi scrutinii nonnisi in fine una cum schedulis secundi scrutinii facienda erit.

[87. *Omnibus et singulis Cardinalibus in virtute sanctae oboedientiae praecipimus ut, ad secretum tutissime servandum, omne genus scripturas quas de exitu uniuscuiusque scrutinii apud se habeant, una cum schedulis comburendas tradant*].

88. In Praedecessorum Nostrorum, ac praecipue Gregorii XV, Constitutionibus, ad expeditiorem electionem habendam statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum tunc duarum tantum partium in eo facta non fuerit, statim antequam ad alios actus deveniretur, Cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, accedere alicui ex illis, qui in eodem scru-

tinio saltem unum suffragium validum obtinuissent, dummodo is non esset, qui ab ipsomet Cardinali fuerat in scrutinio nominatus. Cum tamen huiusmodi forma *accessus* non parum esset ad exequendum difficilis, praesertim quoad ea, quae schedularum inspectionem, aperitionem et collationem spectabant, [*immo cum in praesens, attenta nova schedularum forma per Nos inducta, fere impossibilis evaderet, Nos, Praedecessoris Nostri Pii X ordinationem confirmantes*], qui et huic incommodo occurrere et nihilominus optatae electionis accelerationi nullimode officere cupiit, iterum statuimus ac praescribimus ut loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum iuxta huc usque exposita scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debeant, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis. Volumus autem ut in hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus serventur, ita tamen ut Cardinales non teneantur novum emittere iusiurandum, neque novos eligere Scrutatores, Infirmarios et Recognitores, sed quae in primo scrutinio quoad haec praestita sunt, sine renovatione valeant etiam pro secundo.

89. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane post solitam Missam, et Hymnum *Veni, Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, (*Om* ...) et post meridiem, hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni, Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto [62].

90. Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam in *scrutinio* per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, [*uno insuper addito suffragio*]; vel per viam *compromissi* ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per *inspirationem*, nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium praesentium in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit, expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat [63].

---

[62] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 17.
[63] Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 19.

[91. *Quae de praecedentibus electionem et de ipsa electione Romani Pontificis hactenus dicta sunt, haec omnia servanda esse declaramus etiam si contingat vacationem Sedis Apostolicae occurrere per renuntiationem Summi Pontificis*].

Caput VI

De iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione Romani Pontificis

92. Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus[64], huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis.

93. Item sub eadem poena excommunicationis latae sententiae prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat[65].

94. [*Quae autem a Praedecessoribus Nostris et praesertim a Pio X*[66] *de civili* Veto *seu* Exclusiva, *uti vocant, in electione Summi Pontificis edicta et sancita fuerunt, ut omni externo interventu remoto, plenae libertati in Summo Pastore eligendo consulatur,*] ea omnia, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae oboedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium

---

[64] Iulii II Const. *Cum tam divino*, XIX kal. Febr. 1505.

[65] Symmachus Papa in Synod. Rom., c. 2, D. 79; Pauli IV Const. *Cum secundum Apostolum*, XVII kal. Ian. 1558.

[66] Const. *Commissum Nobis*, 20 Ian. 1904.

Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

95. Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iureiurando adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc latae sententiae excommunicationis poenae innodamus. Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus[67].

96. Pariter interdicimus ne Cardinales, antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam sese adstringant, si ad Pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iureiurando adiecto, nulla et irrita declaramus[68].

67. Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint[69].

98. Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insignioribus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit, a Clero et populo,

---

[67] Greg. XV, cap. *Ubi periculum*, § 4, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 26; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 18.

[68] Pii IV Const. *In eligendis*, § 3; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 18.

[69] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 4, *de elect.*, I, 6 in Sext.; Pii IV Const. *In eligendis*, § 26; Greg. XV Const. *Aeterni Patris*, § 23; Clem. XII Const. *Apostolatus officium*, § 5; Pii IX Const. *Licet per Apostolicas*, VI Idus Sept. 1874; Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri*; Pii X Const. *Commissum Nobis*.

solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut Ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique, quibus officium est enuntiare verbum Dei, Clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) ieiuniorum hortentur[70].

99. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat: nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem[71].

Caput VII

De acceptatione et proclamatione electionis nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis

100. Post electionem canonice factam, [*ab ultimo Cardinali Diacono accitis in aulam Conclavis S. Collegii Secretario, Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum atque duobus Caeremoniarum Magistris,*] consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii [*his verbis*: « Acceptasne electionem de te canonice factam in Summum Pontificem? »] requiratur[72].

101. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque

---

[70] Greg. X, cap. 3, *Ubi periculum*, § 5, *de elect.*, I, 6 in Sext.
[71] Leonis XIII Const. *Praedecessores Nostri.*
[72] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *de Conclavi et Electione Papae*, § 34.

actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest [73]. Hinc, si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia, ipso facto incurrendae, eum innodamus [74].

102. [*De acceptatione novi Pontificis et de nomine ab Eo assumpto, Cardinali Decano interrogante: « Quo nomine vis vocari? » instrumentum conficitur, Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum Notarii munere fungente, testibus adhibitis Secretario S. Collegii et duobus Caeremoniarum Magistris.*]

[103. *Deinde, actis de more agendis, iuxta Caeremoniale Romanum, Cardinales primam* « adorationem » *Summo Pontifici Electo de more exhibent: qua expleta et hymno* Te Deum *decantato, populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Cardinalium Diaconorum publicatur* [75], *pauloque post ipse Pontifex Apostolicam Benedictionem* Urbi et Orbi *impertit. Sequitur deinde secunda* « adoratio », *quam, cappis violaceis induti, Cardinales peragunt.*]

104. [*Si Electus extra Conclave degit, normae sunt observandae quae habentur in Caeremoniali Romano lib. I, tit. 1, « De Conclavi et Electione Papae » § 37.*]

105. [*Omnibus tandem rite expletis, de mandato novi Pontificis aperitur Conclave, tum intus, tum extra; huiusque aperturae consuetum conficitur instrumentum ut de clausura sancitum est superiori n. 56. Aperto autem Conclavi illi admittuntur qui, de more, electo Pontifici pro adoratione introduci solent.*]

106. [*Ad tertiam adorationem peragendam Cardinales ab Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto erunt intimandi cum Summus Pontifex statuerit.*]

107. Quod si electus nondum sit Presbyter vel Episcopus, a Decano S. Collegii Cardinalium, [*qui tunc pallio utitur,*] ordinabitur et consecrabitur [76]: [*quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario* [77].]

---

[73] Cod. I. C., can. 219.

[74] Clem. V, cap. 4, *De sent. excomm.*, V, 10 in Extravag. comm.

[75] Caerem. Rom., lib. I, tit. I, *de Conclavi et Electione Papae*, § 35; Cod. I. C., can. 239, § 3.

[76] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 13.

[77] Cod. I. C., can. 239, § 2.

108. Tandem per Cardinalem Protodiaconum Pontifex coronatur[78], [*et cum Sibi placuerit Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis, possessionem, ritu praescripto, capit.*]

Haec igitur, tota rei causa graviter considerata, atque etiam Decessorum Nostrorum exemplis permoti, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has Litteras et in eis contenta quacumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Volumus etiam Nostras has Litteras legi coram omnibus in primis Congregationibus post obitum Pontificis haberi solitis, ut supra (n. 12 *a*); rursus post ingressum in Conclave, ut supra (n. 51); item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decleta sunt.

Non obstantibus, quatenus opus sit, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros editis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, quas omnes et singulas abrogatas, ut supra, declaramus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis, contrariis quibuslibet.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis, mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

---

78 Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis*, § 18.

attentare praesupserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, die octavo mensis decembris, in festo Conceptionis immaculatae Beatae Mariae Virginis, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. XII

Annotationes

De R. Pontificis electione decernit c. 160 eam unice debere regi Const. Pii X « Vacante Sede Apostolica » 25 dec. 1904. Cum haec Constitutio recenter abrogata sit a Pio XII, occasione scilicet promulgationis novae Constitutionis, in qua integra materia de electione R. Pontificis continetur, canon praedictus sic in posterum sonare debebit: R. Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII « Vacantis Apostolicae Sedis » 8 dec. 1945.

Nova Constitutio, ait S. Pontifex, eadem est ac illa a Pio X s. m. data, sed passim reformata. Quae similitudo essentialis mutationesque quodammodo secundariae, hic illic introductae, satis indicari videntur ipsis verbis quibus initium sumit nova Constitutio Apostolica. Retinentur enim eadem prima verba Constitutionis abrogatae et mutantur solum casus grammaticalis et collocatio verborum; ex alia parte haec mutatio, etsi parva, videtur sufficiens ad confusionem vitandam novam inter et antiquam Constitutionem. Quam opportune autem fuerit praesens Constitutio promulgata, patet ex eo quod paulo post triginta et duo praestantissimi viri, recens ad purpurae honorem evecti, interposito sacramento de religiose servandis iis quae ibidem continentur, deberent legere Constitutionem de electione R. Pontificis, ut iam inde ab initio

novi muneris modum edocerentur, quo exsequi deberent gravissimum officium eisdem demandatum eligendi supremum Caput Ecclesiae.

Praecipuus scopus novae Constitutionis ille esse videtur, sc. ut mutationes iam a Pio XI s. m. haud semel praescriptae[1] aliaeque nunc primum pro rerum temporumque ratione introducendae unico documento comprehenderentur. Immutatio magni momenti inducta a Pio XI non multum post suam evectionem ad supremum Pontificatum stat in eo quod ab obitu S. Pontificis usque ad initium Conclavis non decem dies, ut antea, sed quindecim completi elabi deberent, facta insuper facultate Sacro Cardinalium Collegio ulteriorem prorogationem decernendi, ita tamen ut post decem et octo solidos dies elapsos omnes Cardinales in Urbe praesentes deberent iam necessario Conclave ingredi et ad electionis negotium ilico procedere. In primo Conclavi celebrato vigente hac dispositione Pii XI, Sacrum Collegium Cardinalium de facto usum est hac facultate differendo ingressum in Conclave usque ad extremum limitem in Const. Pontificia permissum; idem posthac observatum iri verisimile est, cum in recenti creatione Cardinalium honore purpurae decorati fuerint viri in dissitis regionibus totius orbis degentes.

Ex prorogatione morae faciendae inter obitum S. Pontificis et initium Conclavis sequitur necessitas determinandi diem in quo novendiales exsequiae incipere debeant; id autem antea, cum post solos decem dies Cardinales Conclave ingredi tenerentur, minime necessarium erat.

Dispositio, iuxta quam Cardinales omnes in Missa ab uno eorum celebrata sacra Communione refici debebant,

---

1 Cfr. Motu proprio, 1 mart. 1922 « *Cum proxime* », AAS XIV, 145; Legge fondamentale dello Stato C. V., 7 iunii 1923; AAS XXI, Supp.; Constit. Apost., 15 aug. 1934, « *Ad Incrementum* », AAS XXVI, 457; Constit. Apost., 25 mart. 1935, « *Quae divinitus* », AAS XXVII, 97.

sic est immutata a Pio XI, ut hac lege in posterum ii soli tenerentur qui se a Sacro peragendo quavis de causa abstinuerint. Item Pius XI concessit Cardinalibus ut in Conclavi uno solo serviente eoque laico uti possint. Desiderium obtinendi ut Officium S. Paenitentiariae in promptu sit semper omnibus Christifid. ad res conscientiae secreto componendas induxit Pium XI ad exceptionem statuendam in regula, qua epistolae aliaque cuiusvis generis scripta subiciuntur examini atque inspectioni Sacri Collegii Secretarii aliorumque Praelatorum, quibus concredita est Conclavis custodia. Omnes igitur litterae, sigillo Officii munitae, quae a S. Paenitentiaria ad Cardinalem Paenitentiarium Maiorem in Conclavi degentem mittantur vel viceversa, nulli examini et inspectioni erunt obnoxiae.

Aliae immutationes, iam a Pio XI inductae, proveniunt partim ex iure concesso per Const. Apost. « Ad Incrementum » Praelatis Curiae Romanae ad interveniendum in sollemnibus quibusdam actibus, partim ex Constitutione Status Civitatis Vaticanae. Sic v. g. iuxta legem, qua regimen Status C. V. ordinatur, Sede Apostolica vacante, potestas tum legislativa tum executiva et iudiciaria pertinet ad S. Collegium, quod tamen functionem legiferam non exercebit, nisi urgeat necessitas providendi sine mora alicui rei; sed etiam in hoc casu non nisi normas temporarias statuet, quae sc. suam vim solum durante vacatione Sedis Apostolicae retineant.

Vera novitas nunc primum a Pio XII inducta stat in eo quod ad validam R. Pontificis electionem debeat in scrutinio publico duabus ex tribus suffragiorum partibus unum insuper addi suffragium. Hoc modo disparet necessitas, quae hucusque aderat, aperiendi schedulam Cardinalis qui exacte duas tertias partes suffragiorum obtinuerit; id autem fieri debebat ut constare posset publice electum non dedisse sibimetipsi suffragium et consequenter revera obtinuisse numerum necessarium suffragiorum ad validam electionem, cum suffragium sibimetipsi datum

prorsus invalidum sit. Sola igitur possibilitas, quae non erat exclusa, scrutinii in quo exacte duae tertiae partes suffragiorum darentur uni candidato, — quod probabiliter de facto non nisi rarissime accideret — reddebat plures actus sat implexos in *omnibus antescrutiniis*. Nonne poterat simplicior forma excogitari quin certitudo de validitate electionis periclitaretur? Haec quaestio est nunc recte composita, et quidem immutatione inducta haud magnae molis, cum solum vi iuris nunc requiratur quod antea sine dubio de facto generatim locum habebat; multum enim verisimile est numerum suffragiorum a SS. Pontificibus in electione definitiva obtentum superasse plerumque duas tertias partes requisitas.

Nova haec dispositio permittit ut plures antescrutinii actus facillime et celeriter expediantur. Forma enim schedulae adhibendae est simplicissima, plus lata quam longa contra ac antea: in ea insuper non nisi unum nomen scribi debet, sc. electi, ac denique complicatio illa sufficit quae fiet in medio uniuscuiusque schedulae. Quaelibet obsignatio redditur iam supervacanea et sic supprimitur actus qui maiorem difficultatem et molestiam secum ferebat.

Etiam propositum vitandi quodlibet commercium, inspectioni non subiectum, inter eos qui in Conclavi degunt et alios foris versantes et sollicitudo removendi quodlibet periculum violationis secreti circa ea quae spectant ad electionem S. Pontificis causam dederunt novorum praescriptorum additioni. Sic v. g. in n. 64 continetur prohibitio introducendi in Conclave quaelibet instrumenta telegraphica, telephonica, microphonica et radiophonica; antea hoc praescriptum non erat saltem perinde necessarium ac hodie, cum iam quislibet possit haud difficile ope horum instrumentorum vetitum commercium nostris diebus instituere. Supra descriptis instrumentis aequiparantur etiam photographica et cinematographica instrumenta; nihil enim eorum quae intra Conclave locum habent a personis extraneis debent dein sensibus percipi. Demum combus-

tioni faciendae, antequam Cardinales discedant ab aula electionis, destinatur etiam omne genus scripturae quam de exitu uniuscuiusque scrutinii apud se habeant electores. Haec cautio duce experientia necessaria visa est ad secretum tutissime servandum, cum scripta maneant et convolare possint, fortasse cum detrimento spirituali haud levi, ad manus etiam eorum qui non fuerint electores.

Nimium esset procul dubio singula additamenta referre, quibus nunc plura vel complentur vel strictius determinantur. Aliqua memorasse sufficiat; sic v. gr. formulae iurisiurandi in singulis casibus praescriptis adhibendae nunc primum omnes in Constit. Apostol. includuntur; edicitur quis et quando iuramenta praescripta recipere debeat, eliminata forma disiunctiva non semel antea quoad subiectum recipiens adhibita; praecipitur confectio triplicis authentici instrumenti tumulationis, quorum primum servabitur in Basilica Vaticana, si ibi tumulatio locum habuerit, alterum vero tradetur R. Camerae Apost., tertium denique penes Praefectum Cubiculi manebit; respicitur etiam hypothesis mortis S. Pontificis extra Urbem, quo in casu S. Collegii Cardinalium erit omnia opportune disponere pro digna ac decora translatione cadaveris ad Vaticanam Basilicam S. Petri; officium S. R. E. Cancellarii non exspirat morte Pontificis ut praescriptum erat antea, etsi suspendatur etiam nunc expeditio Apostolicarum Litterarum sub plumbo; disparent antiquata nomina Vicecancellarii et Prodatarii, quibus tot notissimi Cardinales decursu temporis sunt insigniti, et usitata vocabula Cancellarii et Datarii adhibentur; vestes quibus S. R. E. Cardinales Sede Vacante uti debeant, describuntur; datur venia ut Cardinalibus senio vel infirmitate laborantibus possint destinari cellae absque praemissa sorte; fit Cardinali infirmo, qui scribere nequeat, facultas quemlibet clericum eligendi qui in schedula scribat nomen candidati cui ipse suffragium dare statuit; designantur Praelati qui comitari debeant Cardinalem Decanum acceptationis manifes-

tationem ab electo exquirentem eisque defertur munus conficiendi instrumentum tum de acceptatione subsecuta tum etiam de nomine assumpto.

Specialem autem merentur attentionem quae decernuntur circa modum claudendi Conclave; omnia quam accuratissime determinantur. In primis Conclavis recognitio, cui nunc interesse debent etiam Secretarius Conclavis, magistri Caeremoniarum comitantes Praefectum et Architectus Conclavis, peragitur, ut par est, antequam Conclave claudatur. Praesentes huic actui ex parte externa debent esse Gubernator et Mareschallus Conclavis cum propriis comitatibus, Decanus Praelatorum R. Camerae Apost. cum Secretario-Cancellario quem deputaverit S. R. E. Card. Camerarius, Magistri Caeremoniarum qui non fuerint destinati ad servitium praestandum intra Conclave et Architecti. Mareschallus custos retinet claves. Duplex instrumentum utriusque peractae clausurae est conficiendum; quinam huic actui interesse debeant minutatim exponitur; immo quoad instrumentum foris conficiendum aedes Mareschalli Conclavis tanquam locus proprius assignantur. Momentosus videtur actus clausurae Conclavis, cum duplex instrumentum hac occasione confectum debeat deinde legi a Praefecto Apostol. Caeremoniarum prima vice qua Cardinales conveniant in aulam electionis.

Consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium itemque membra religionis ad quam pertineat aliquis Cardinalis praesens in Conclavi excluduntur a servitio, ut Conclavistae, praestando non solum Cardinalibus, quibus coniungantur vinculis sive propinquitatis sive religionis, sed absolute quibuslibet aliis Cardinalibus. Itaque prohibitio gerendi munus Conclavistae facta personis supra descriptis, quae antea solum quoad determinatos quosdam Cardinales urgere videbatur, nunc clare extenditur ad omnes Cardinales indistincte. Arcetur hac ratione etiam remota occasio sive tentandi secreti vio-

lationem sive exercendi aliquem influxum in animos electorum.

Quoad ea quae nunc omittuntur notandum venit potissimum quod sola Constitutio « Vacantis Apostolicae Sedis » erit legenda tum in primis Congregationibus tum statim post ingressum in Conclave, omissis Constitutionibus « *Commissum Nobis* » — cuius substantia ceteroquin in illa priore continetur — et « *Praedecessores Nostri* » Leonis XIII cum adiecta Instructione, quae electioni faciendae in extraordinariis et gravissimis adiunctis consulit. Nulla iam mentio fit Cardinalis qui nondum ordinem diaconatus acceperit, cum ex c. 232 § 1 momento creationis debeant omnes saltem in ordine presbyteratus esse constituti.

Praescripta in electione S. Pontificis servanda eo potissimum tendunt, sc. ut validitas et liceitas electionis in tuto collocentur; ex una enim parte quodlibet dubium circa validitatem electionis peractae ingens damnum tranquillitati Ecclesiae afferre potest, ex alia vero summopere oportet ut in re tam sancta omnia etiam sancte procedant, sine umbra scilicet illiceitatis. Item celeritati in negotio electionis expediendo et remotioni cuiuslibet influxus extranei sapientissimis praescriptis provisum est. Quod quantum intersit boni universae Ecclesiae nemo est qui non videat; vacante enim Sede Apostolica deest in Ecclesia subiectum potestatis supremae, cuius exercitium non potest diu suspendi absque gravi detrimento publico. Item, cum providum Ecclesiae regimen supernaturalibus viribus potissimum nitatur, aequum omnino est ut ii, quibus demandatur arduum munus designandi Vicarium Christi, dum huic negotio incumbunt cuilibet influxui terreno penitus subducantur.

PH. AGUIRRE, S. I.

20 - SS. D. N. Pius Pp. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

UNIVERSO ORBI DIE IV MENSIS APRILIS A. MCMXLVI DATUS, AD SOLLICITANDUM MUTUUM INTER NATIONES AUXILIUM, NE INDIGENTES FAME PEREANT.

(*AAS*, XXXVIII [7 maii 1946] p. 165).

Stretto il cuore da intima angoscia, lanciamo oggi con questo Nostro messaggio un grido d'invocazione alla coscienza del mondo, al senso di responsabilità dei dirigenti nella politica e nella pubblica economia, alla umana comprensione e alla mutua generosità dei popoli:

A quanti hanno occhi per vedere e orecchie per udire.

A quanti sono capaci di elevarsi al di sopra dei contrasti di pensiero, d'imporre silenzio ai rancori nati dalla guerra, e hanno conservato la mente e il cuore aperti alla santa voce della fratellanza umana.

Ed in modo particolare a tutti coloro che, uniti con Noi nella fede cristiana, nutriti della dottrina e della legge di Cristo, sanno vedere, nel ricorso al loro animo fraterno, la pietra di paragone del sincero e profondo amore di Dio.

Appena uscita dal fiume di sangue che ha attraversato durante gli anni di guerra, la povera umanità sale, nella ricerca della pace, per un sentiero sempre più aspro, sempre più erto, sempre più ingombro di rovi. Ad ogni passo sorgono nuovi impedimenti ed ostacoli, la cui gravità, nella prima ebbrezza della vittoria faticosamente conseguita, ben pochi sospettavano.

Mentre gli Uomini di Stato si adoperano, nelle loro spesso difficili deliberazioni, a porre i primi fondamenti della ricostruzione politica ed economica e a togliere o almeno a mitigare le inevitabili discrepanze di opinioni e

d'interessi, ecco che sorge dietro di loro lo spettro minaccioso della fame.

Chini sulle loro statistiche, i periti, a mano a mano che si allungano sotto i loro occhi le colonne di cifre, vedono farsi sempre più stringente l'amara certezza: Sopra almeno un quarto della popolazione totale del globo grava l'ombra sinistra della fame; attraverso immense contrade essa minaccia di mietere intiere moltitudini, il cui numero (se non vi si ponesse tempestivo rimedio) farebbe impallidire quello, già tanto impressionante, dei combattenti e dei non combattenti colpiti su tutti i fronti dell'ultima guerra.

Varie non prevedute nè prevedibili circostanze sono venute ad aggravare le già formidabili difficultà del vettovagliamento: nell'Europa orientale insufficiente coltivazione dei campi a causa degli avvenimenti bellici e del susseguente forzato allontanamento di gran parte della popolazione locale; cattive raccolte del grano nell'Europa meridionale e nei territori limitrofi; scarse raccolte, specialmente del riso, nell'Asia orientale e sud-orientale; siccità nell'Africa meridionale.

Le conseguenze appariscono con una evidente chiarezza: un accresciuto e indispensabile bisogno di importazioni per l'Europa in questi mesi fino al prossimo raccolto; la imperiosa necessità di aiuto alle popolazioni degli altri territori che abbiamo nominati, i quali in tempi normali bastavano a se stessi.

Senza dubbio vaste regioni producono molto più del bisogno delle proprie popolazioni. Ma, senza parlare di quelle che si sono trovate pur troppo coinvolte anch'esse nella conflagrazione mondiale ed hanno subito le devastazioni della guerra e del dopo-guerra; notevoli scorte già accumulate sono state durante il conflitto sottratte all'alimentazione umana ed utilizzate come foraggio per il bestiame, o sottoposte a lavorazioni chimico-industriali. Ad ogni modo, pur con le provviste ancora esistenti, la con-

giuntura con la prossima raccolta non potrà farsi che a gran pena e a condizione di adoperare tutti i possibili mezzi. Anche così, al principio della raccolta le riserve si troveranno estremamente scemate. La difficile condizione alimentare non sarà dunque neanche allora definitivamente rimossa, ma potrà (che Dio non voglia) persistere fino alla raccolta susseguente. Almeno sedici mesi dunque, durante i quali la preghiera, che anche in tempi di prosperità eleviamo tutti i giorni al Padre celeste, dovrà divenire sempre più intensa e supplichevole: Dacci oggi il nostro pane quotidiano!

Noi non dubitiamo che i popoli, i quali hanno dimostrato un così grande potere di organizzazione e un così eroico spirito di sacrificio per il conseguimento dei loro scopi bellici, daranno prova di queste medesime qualità ora che occorre strappare alla morte milioni di creature umane.

Si tratta di rendere libere le provviste ancora esistenti e di costituire poi le nuove; di impedire lo spreco dei viveri o il loro non necessario impiego ad altro fine immediato che non sia l'alimentazione umana; di evitare sconsigliate o ingiustificabili cessazioni del lavoro; di consacrare a tale scopo i mezzi adatti di trasporto; di prendere i provvedimenti finanziari opportuni; di cercare e di utilizzare tutte le possibilità di seminagione; cose tutte che richiedono abilità di organizzazione e spirito di sacrificio.

Ciò nonostante, se l'organizzazione, per quanto geniale e potente, si riducesse a non essere che una politica amministrativa; se lo spirito di sacrificio, anche portato fino all'eroismo, non si accendesse a un ideale più alto che quello di una semplice disciplina militare o nazionale; sarebbe ben poco. Il genere umano è minacciato dalla fame. E la fame è essa stessa causa d'incalcolabili perturbamenti, in mezzo ai quali la futura pace, ancora appena in germe, correrebbe pericolo di rimanere soffocata anche prima di

nascere. Eppure la pace è tanto necessaria a ciascun popolo della terra!

Dinanzi a questo comune pericolo non vi è più posto per i pensieri di vendetta o di rappresaglia, nè per brame di potere o di dominazione, nè per alcun desiderio d'isolamento o privilegio di vincitore. Ciò è stato assai ben compreso nell'America del Nord. In questa grande offensiva mondiale contro la fame, gli Stati Uniti si sono messi generosamente alla testa del movimento; essi hanno posto al servizio di questa santa causa la loro gigantesca forza di produzione, hanno raddoppiato i loro sforzi per aumentare l'eccedenza delle derrate alimentari destinate alla esportazione. Noi sappiamo che anche il Canadà con la sua tradizionale liberalità percorre la stessa via. Dal canto suo la Gran Bretagna, mentre ha con provvida sollecitudine convocato nella sua Metropoli, una Conferenza internazionale per le questioni del vettovagliamento, ha continuato a mantenere nell'uso di molti commestibili le restrizioni del tempo di guerra. E' certo che anche un piccolo, appena sensibile razionamento dei paesi meglio provvisti renderebbe possibili risparmi di viveri, che apporterebbero ad altri popoli più duramente colpiti dalla carestia un notevole sollievo nei loro più urgenti bisogni. Perciò il Nostro sguardo si volge pieno di fiducia verso gli Stati dell'America Latina. Già in passato il nobile cuore dei loro cittadini, Nostri amatissimi figli e figlie, ha saputo mostrarsi largamente aperto a tutte le invocazioni della carità, a tutti i grandi interessi della umanità. Un'opera magnifica la Provvidenza divina ai giorni nostri ha affidata loro, per farne i dispensatori dei suoi doni; un'opera simile a quella che negli anni di carestia ebbe il patriarca Giuseppe, preposto all'amministrazione dei granai dell'Egitto. Veri granai del mondo, l'Argentina, il Brasile, hanno veduto, alla vigilia delle calamità presenti, le loro immense terre rispondere alle loro cure e ai loro metodi agricoli con una fecondità che ha superato quella del-

l'anteguerra. Essi sono quindi felicemente in grado di ristabilire in larga misura lo scosso equilibrio, portando soccorso ai fratelli più bisognosi.

Possa penetrare dappertutto il convincimento che la presente minaccia della fame è un pericolo comune, che deve congiungere tutti i popoli in una solidarietà e in una comunanza fraterna, la quale lascia dietro di sè tutte le differenze, tutti i contrasti, tutti gli interessi particolari. Che importa, in questo momento, di sapere ove furono le responsabilità, o quale sia stata la parte di ognuno nei torti o nelle negligenze fatali? Che importa di ricercare chi sia più o meno degno di aiuto? Ciò che veramente ora preme è che il soccorso giunga pronto, sufficiente, ovunque stringe il bisogno.

E' oggi più che mai l'ora di prestare ascolto alle parole del Salvatore: « Tutte le volte che avete fatto qualche cosa a uno di questi minimi tra i miei fratelli, l'avete fatta a me »;[1] ma anche d'intendere l'amara riprovazione che Egli rivolge a chiunque, per egoismo o per semplice indifferenza, non viene in soccorso del prossimo in stato di manifesta necessità. Praticamente questi ammonimenti indicano una grave responsabilità innanzi a Dio di tutti coloro che per le loro speciali qualità e per le loro condizioni sono chiamati ad allontanare quel pericolo, nella direzione o nella esecuzione, per ufficio o privatamente; una grave responsabilità innanzi a Dio di tutti quelli che con l'avvedutezza, la diligenza, la saggia economia, nella produzione, nei trasporti, nella distribuzione dei viveri, potrebbero alleviare la miseria di molti; una anche più grave responsabilità innanzi a Dio di coloro, il cui crudele egoismo, accumulando e occultando le provviste, o in altro qualsiasi modo, sfrutta odiosamente la miseria del prossimo, delle singole persone o dei popoli, a proprio

---

1 MATTH. 25, 40.

personale profitto e forse anche per arricchirsi con illecite speculazioni o col più vile commercio.

Sarebbe però funesto di credere che la crisi possa essere superata fuorchè nella tranquillità e nell'ordine pubblico. E' necessario che tutti mantengano la calma. La storia ci mostra troppo spesso i disastrosi effetti dell'illusione, che spinge alla rivolta e al saccheggio le folle affamate. Sarebbe lo stesso che pretendere di fecondare i campi, seminando scintille nelle stoppie desolate. Guai a quelli che volessero destare l'incendio, eccitando a inutili sommosse! Guai a coloro che lo attizzano con lo spettacolo del loro lusso scandaloso e dei loro sprechi!

Lo spreco! Padri e madri di famiglia, fate che i vostri figli conoscano meglio quali sacre cose siano il pane e la terra che ce lo dà. Il tempo nostro lo aveva troppo dimenticato; da una onesta semplicità di vita era insensibilmente sdrucciolato verso la ricerca e il soddisfacimento di gioie malsane e di bisogni fittizi; ed ecco che il Signore, facendo più raro il dono del suo pane, ha voluto con questa dura lezione richiamarlo sul retto sentiero. Possa questa lezione, docilmente compresa, servire allo stabilimento di un ordine migliore economico e sociale!

La morte, durante gli anni di guerra, è passata e ripassata lungo il fronte di battaglia, è penetrata nelle profondità dei territori, abbattendo al suolo innumerevoli vittime fra i combattenti e fra le popolazioni civili. E' tempo che le sbarriamo il passo, ora che la vediamo apprestarsi a cagionare stermini incomparabilmente più vasti di quelli prodotti con le armi e col fuoco. Non permettiamo che essa incida su milioni di tombe d'innocenti fanciulli le parole tragicamente accusatrici: « I pargoli domandavano pane, e non era chi loro lo desse ».[2]

Voi tutti, singole persone o popoli, che siete in grado, in una maniera o in un'altra di venire in soccorso dei

---

[2] *Thren.* 4, 4.

vostri fratelli, ascoltate l'esortazione del Profeta: « Spezza il tuo pane a chi ha fame ».[3] Ma fissate il vostro sguardo sulla grande visione: non soltanto gli affamati della terra tendono in questo momento verso di voi le loro mani supplichevoli: Cristo stesso vi chiede il pane di cui i suoi poveri hanno bisogno.

Ogni boccone di pane, che loro date, è dato a Lui. Ogni boccone, che loro negate, è negato a Lui.

Verrà un giorno in cui ciò, che molti oggi ancora non vedono, diverrà manifesto agli occhi di tutti, quando il Giudice supremo apparirà nella maestà della sua giustizia per pronunziare dinanzi alla intiera umanità la sua sentenza senza appello.

Infelici per sempre coloro, alle cui orecchie risonerà la terribile condanna: « Andate via da me, maledetti ... poichè io ebbi fame e non mi deste da mangiare ».[4]

Ma beati quelli che udiranno le divine parole infinitamente dolci: « Venite, o benedetti dal Padre mio, ... perchè io ebbi fame e mi saziaste ... Tutto il bene che avete fatto al più piccolo dei miei fratelli, lo avete fatto a me »![5]

21 - SS. D. N. Pius Pp. XII

MOTU PROPRIO

DE ORDINE IUDICIALI ET DE RATIONE PROCEDENDI IN CAUSIS CIVILIBUS IN STATU CIVITATIS VATICANAE SERVANDIS.

(*AAS.* XXXVIII [7 maii 1946] p. 170).

Con la legge n. II del 7 giugno 1929, il Nostro predecessore Pio XI di f. m., dopo aver indicato le fonti principali del diritto per lo Stato della Città del Vaticano, di-

---

3 Is. 58, 7.
4 MATTH. 25, 41-42.
5 MATTH. 25, 34-35-40.

sponeva che nelle materie alle quali non provvedevano le dette fonti principali del diritto oggettivo, in via suppletiva e fino a che non fosse stato provveduto con leggi proprie della Città del Vaticano, fossero osservate alcune leggi e regolamenti emanati dal Regno d'Italia fino all'entrata in vigore della ricordata legge 7 giugno 1929 sulle fonti del diritto, sotto la generale riserva che essi non fossero contrari ai precetti di diritto divino, nè ai principi generali del diritto canonico, nonchè alle norme del Trattato e del Concordato stipulati tra la Santa Sede e il Regno d'Italia l'undici febbraio 1929, e sempre che, in relazione allo stato di fatto esistente nella Città del Vaticano, risultassero ivi applicabili.

Sciogliendo in parte la riserva sopra espressa, il Nostro predecessore Pio XI, di venerata memoria con Motu-proprio 21 settembre 1932 (*Acta Apostolicae Sedis*, 1932, 332), al fine di sempre meglio provvedere all'ordinamento dei Tribunali della Città del Vaticano ed alla procedura da seguire per la sollecita trattazione delle cause civili avanti ai medesimi, costituì una Commissione, composta da Monsignor Massimo Massimi, Decano della S. R. Rota, Presidente, Mons. Giulio Grazioli, Uditore di Rota, Paolo Pericoli, Presidente del Tribunale di Prima istanza, Agostino Schmid, ff. di Promotore di Giustizia presso detto Tribunale, e Paolo Guidi, Giudice supplente nello stesso Tribunale, Segretario, con incarico di redigere un progetto di legge sull'ordinamento giudiziario e sulla procedura civile dei Tribunali dello Stato della Città del Vaticano.

La Commissione, che nel corso dei lavori aveva perduto uno dei suoi membri nella persona di Agostino Schmid e che si era giovata di osservazioni redatte, sopra sua richiesta, da Edoardo Ruffini e da Corrado Bernardini, presentò nel 1935 il progetto richiesto, il quale, dopo lievi ritocchi, fu, nel luglio 1937, per ordine del Nostro predecessore Pio XI e a cura del Consigliere Generale dello Stato della Città del Vaticano, il Principe Don Carlo Pacelli, reso

di pubblica ragione, al fine di provocare sul medesimo progetto il giudizio della critica scientifica.

Si ebbero, così, specialmente da parte dell'Università Cattolica del Sacro Cuore, che l'aveva preso a soggetto di un suo pregiato studio pubblicato nel 1938, alcune osservazioni, sia di carattere generale che particolare.

Sebbene tali osservazioni fossero state dichiarate espressamente di non grande rilievo e non avessero impedito anche all'Università Cattolica del Sacro Cuore di esprimere un giudizio complessivo favorevole all'elaborato progetto, uniformemente al giudizio di insigni processualisti italiani, Noi ordinammo che le osservazioni medesime fossero valutate dal Presidente insieme col Segretario della Commissione, e che Ci fosse sottoposto un progetto definitivo.

Compiuta tale revisione con Nostra soddisfazione;

ritenendo che il progetto definitivo così elaborato corrisponda agli scopi per i quali ne fu ordinata la redazione dal Nostro predecessore Pio XI;

considerato che l'ordinamento giudiziario disposto in via provvisoria, con il ricordato Motu-proprio del 21 settembre 1932, sebbene abbia dato buona prova, non può costituire una soluzione permanente del problema;

considerato che la ricordata riserva, fatta nella legge 7 giugno 1929 sulle fonti del diritto, di provvedere con leggi proprie della Città del Vaticano alle materie regolate, in via suppletiva, dalle leggi italiane applicabili per eccezione nel Nostro Stato, va sciolta innanzi tutto relativamente all'ordinamento giudiziario e alla procedura civile, in quanto le relative norme hanno un particolare bisogno di certezza, costituendo la garanzia dei singoli nella tutela dei loro diritti, tanto che esse sono state raccolte in leggi organiche, anche in quei paesi dove non è stata accolta la pratica della codificazione del diritto civile:

Disponiamo e stabiliamo di *motu proprio* quanto appresso:

I. — L'ordinamento giudiziario e il codice di procedura civile allegati al presente Motu-proprio sono approvati e andranno in vigore a cominciare dal 1° novembre 1946.

II. — Un esemplare dell'ordinamento giudiziario e del codice di procedura civile, firmati da Noi, costituiranno l'originale e saranno depositati e custoditi nell'Archivio delle leggi dello Stato della Città del Vaticano.

III. — La pubblicazione dei predetti ordinamento giudiziario e codice di procedura civile si eseguirà con la pubblicazione del presente Motu-proprio negli « Acta Apostolicae Sedis » e con la consegna di un esemplare stampato al Governatore dello Stato della Città del Vaticano, il quale provvederà a tenerlo a disposizione del pubblico fino al giorno dell'entrata in vigore.

IV. — Qualsiasi disposizione contraria al presente Motu-proprio è abrogata.

V. — Le Commissioni costituite con il Motu-proprio 21 settembre 1932, continueranno a funzionare, con il procedimento di cui nello stesso Motu-proprio, esclusivamente per le liti che, al momento dell'entrata in vigore del nuovo ordinamento giudiziario, fossero pendenti dinanzi alle Commissioni medesime.

Tutto ciò Noi abbiamo stabilito e stabiliamo, nonostante qualunque cosa in contrario, anche se degna di speciale menzione.

Dato in Roma, presso S. Pietro in Vaticano, il giorno primo del mese di maggio dell'anno millenovecentoquarantasei, ottavo del Nostro Pontificato.

22 - SS. D. N. Pius Pp. XII

HORTATIO PASTORALIS

AD PAROCHOS URBIS ET CONCIONATORES SACRI TEMPORIS QUADRAGESIMALIS *

(*AAS*. XXXVIII [7 maii 1946] p. 182).

I

Paterno saluto

Ci torna sempre sommamente gradito di vedervi qui riuniti intorno a Noi, diletti figli, in questa ricorrenza del tempo e della predicazione quaresimale. Il Nostro primo pensiero va al Venerabile Fratello il Signor Cardinale Vicario, che con ferma volontà e illuminato zelo esercita il suo alto ufficio; e a lui volentieri associamo i fedeli collaboratori nel governo della Nostra amatissima diocesi di Roma. Ma queste parole di saluto paterno s'indirizzano anche a voi, sacri oratori, e a voi, parroci dell'Urbe, che dovete portare — non pochi in assai larga misura — il *pondus diei et aestus*,[1] le privazioni e le penose rinunzie di questi aspri e duri anni. Il Signore, che vede le vostre opere, la fatica e la pazienza vostra,[2] ve ne darà la ricompensa.

Contrasti di miserie e di angosce, di conforti e di speranze.

Anni duri, anni sconcertanti per le vicissitudini degli avvenimenti più straordinari e disparati, per l'alternarsi e il confondersi del bene e del male, anni trascorsi nelle

* Habita die 16 Martii 1946.
[1] MATTH. 20, 12.
[2] Cfr. *Apoc*. 2, 2.

miserie e nelle angosce, ma al tempo stesso, col superno presidio della Provvidenza divina, in mezzo agli attestati della sua infinita misericordia. Anni difficili e pieni di contrasti, anche per lo zelante pastore, cui la cura delle anime ha imposto singolari esigenze e ha cagionato amare delusioni, ma ha procurato altresì soprannaturali conforti e prove della fecondità dell'opera sua.

Testimoni non di rado impotenti della marea crescente dei corrotti costumi, voi avete elevato a Dio il grido angoscioso del Salmista: « Mi trovo immerso in un fango profondo, e non vi è dove fermare il piede... Mi sono stancato col gridare, e le mie fauci son divenute rauche ».[3] E davanti al decadimento delle anime che vi erano affidate, forse anche fra quelle a voi più care, avete esclamato gemendo: « Hanno messo nel mio nutrimento il fiele, e nella mia sete mi hanno abbeverato con l'aceto ».[4] Ma voi avete potuto osservare come il flagello della guerra, dovunque ha infierito, ha portato con sè i medesimi o almeno simili effetti. Per quanto doloroso sia un tale spettacolo, tuttavia i vostri cuori si sono aperti alla speranza che il sole della pace, levandosi sull'orizzonte, farà gradualmente abbassare quelle grandi acque. Ed infatti appariscono qua e là sintomi di resipiscenza, segni di notevole miglioramento.

Urgenti doveri

Ciò nondimeno, le conseguenze della guerra vi mettono sempre di fronte a numerosi e gravi doveri. Noi pensiamo soprattutto alla protezione della fanciullezza abbandonata, al risanamento delle profonde ferite inflitte specialmente alla santità del matrimonio, alla fedeltà coniugale; al qual proposito ripetiamo qui ciò che, or è un anno, ricordammo intorno alla questione del divorzio, che cioè il matrimonio fra battezzati validamente contratto e con-

---

[3] *Ps.* 68, 3-4.
[4] *Ib.* 22.

sumato non può essere sciolto da nessuna potestà sulla terra, nemmeno dalla Suprema Autorità ecclesiastica. A questi urgenti doveri si aggiunge l'altro, non meno grave, di ravvivare il senso del diritto e della giustizia in tutta la vita sociale e di promuovere sempre più le opere di carità cristiana.

L'azione caritatevole

Noi stessi vogliamo proseguire, finchè Ce ne sarà data la possibilità, la Nostra azione caritatevole verso gl'infelici che la guerra ha gettati nella indigenza in Roma e fuori. In Roma Ci piace di riconoscere la vostra valida cooperazione, e ve ne ringraziamo, sicuri come siamo che la continuerete con la stessa costanza e lo stesso zelo. L'organizzazione del soccorso per le vittime della guerra, anche fuori di Roma, ebbe il suo inizio e il suo sviluppo grazie alla instancabile solerzia delle varie Opere da Noi volute, fra le quali merita di essere segnalata la Pontificia Commissione di Assistenza. Molto si è già conseguito, al di qua e al di là dei confini d'Italia, con la cura per il rimpatrio dei profughi, con la istituzione di numerosi Refettori Pontifici, con la distribuzione di milioni e milioni di minestre, con l'assistenza ai prigionieri, ai reduci, ai danneggiati dalla guerra. Questa attività caritativa, sostenuta dalla benevolenza e dal concorso di tanti illustri Pastori, è andata ininterrottamente progredendo. Noi la menzioniamo per rendere umili e profonde azioni di grazie al Signore, datore di ogni bene, e per esprimere anche in questa occasione la Nostra riconoscenza verso tutti coloro, in Europa e nel mondo intero, che per amore di Dio hanno fatto a gara nel prestarCi il loro generoso aiuto. In questa nobile emulazione l'Episcopato e i cattolici di America si trovano in prima fila. Il movimento dei nostri magazzini, che, mercè loro tutti, si sono venuti senza sosta riempiendo a mano a mano che si vuotavano a sollievo

dei poveri, è, per usare l'espressione dell'Apostolo S. Paolo, la prova visibile del loro amore e la giustificazione della Nostra lode.[5]

Valore e dignità della cura diretta delle anime

A misura che si svolgeva la serie degli avvenimenti di questi ultimi anni, già prima della fine della guerra, ma anche più dopo, soprattutto nel corso dei mesi passati, l'attenzione e l'attività Nostre sono state straordinariamente assorbite dalla sollecitudine di rispondere ai bisogni e alle istanze di tanta parte della Cristianità. Innumerevoli anime tendono con speranza e fiducia gli occhi e il cuore verso la Chiesa. Ma appunto questo spettacolo, sempre presente al Nostro spirito, Ci spinge a considerare particolarmente la cura diretta, immediata, delle anime, nella vita parrocchiale, nella quotidiana azione del sacerdote all'altare, sul pergamo, nel confessionale, nell'insegnamento, fra la gioventù, al letto dei malati, nei colloqui personali. Questo assiduo lavoro è stato ed è dappertutto e in tutti i tempi la base fondamentale e come la solida armatura che assicura la perenne vitalità della Chiesa.

Con tale lavoro la Chiesa apporta realmente alla restaurazione della società umana il prezioso contributo, di cui parlavamo in un Nostro recente discorso. Esso invero consiste nel formare l'uomo stesso, l'uomo completo, immagine e figlio di Dio, l'uomo preparato e pronto ad osservare fedelmente nell'ordine naturale e soprannaturale la consegna ricevuta da Dio, suo Creatore e suo Padre. Ma un tale uomo, come lo forma, come lo prepara la Chiesa se non soprattutto con la quotidiana cura delle anime? Questa educazione spirituale mira evidentemente in primo luogo alla vita soprannaturale ed eterna, ma al tempo stesso assicura alla società umana la dignità e l'ordine, la fe-

[5] Cfr. 2 Cor. 8, 24.

licità e la pace. In tal guisa, nell'oscuro e incessante lavoro compiuto nel mondo intero dai sacerdoti su ciascuna delle anime in particolare, si appresta e si disegna l'ardua e grande opera della Chiesa per il maggior bene della umanità.

Così parlando a voi, diletti figli, Noi intendiamo di dare al vostro lavoro la lode che merita. Ma, anche più, abbiamo a cuore d'incoraggiarvi e spronarvi a stimarlo voi stessi in grado sempre più alto, per compirlo con una perfezione sempre crescente, fino alla più semplice confessione che ascoltate, al più elementare catechismo che impartite ai fanciulli.

Sollecitudine verso coloro che vivono lontani dalla Chiesa

Extabat utique in Sinis inde ab anno 1922 Delegatio Apostolica, at ipsa caractere diplomatico carebat, quatenus Delegatus Pontificis Personam gereret non coram Civitatis Gubernatoribus, sed coram Episcopis ac Christifidelibus tantum.

Inde factum est ut Delegatio Apostolica eveheretur ad gradum Internuntiaturae, quae non differt a normali Nuntiatura nisi quatenus Nuntius mitti solet illis nationibus quae verum Legatum miserant Romam, Internuntius vero illis quae Administrum tantum, ut accidit nunc pro Sinis, retinent apud Sanctam Sedem. Sic igitur normales relationes diplomaticae Sinas inter et Sedem Apostolicam tandem aliquando nexae sunt.

Dixi: tandem aliquando! Nam pluries inde a secunda medietate saeculi praeteriti Sinenses conati sunt has relationes nectere. Sed quoties conati sunt, toties experti sunt Galliam firmo animo resistentem. Gallia enim inde ab anno circiter 1860, tacite consentientibus ceteris nationibus et praesertim Sancta Sede, sibi privilegium retinuit protegendi Sacras apud Sinas Expeditiones et praecones cuiuscumque Nationis etiam Sinensis. Hoc itaque privilegio innixa Gallia, timens ne auctoritas et dignitas sui ipsius labefacteretur, totis viribus nullo non tempore obstitit quominus Apostolica Sedes suum proprium Nuntium in Sinis haberet et quominus Sinae proprium Legatum Romae. Dum ergo in ipsa Gallia religiosi expellebantur e patria, in Sinis non tantum qui Galli erant sedulo defendebantur sed etiam qui non erant Galli. Et hoc quidem tolerabile erat quando praecones maxima ex parte erant e Gallia oriundi iuxta illud « maior pars trahit ad se minorem ». Ast, multiplicato numero praeconum ex aliis nationibus, absonum plane videbatur ut una Gallia tueretur non tantum praecones gallos sed etiam non-gallos. Inde factum est ut, impetentibus hanc rem praesertim Germania et Italia, hoc privilegium in dies lapsum sit, et hodie mortuum ac sepultum sit.

Et haec hic sufficiat praelibasse. Qui vero plura quaerit, legere poterit commentarium quod alibi edidi [1].

P. D'Elia, S. I.

---

[1] *L'istituzione della Gerarchia Episcopale e dell'Internunziatura in Cina* in *Studia Missionalia*, Romae, II, 1946, pp. 1-31, praesertim pp. 25-31.

26 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS* xxxviii [14 sept. 1946] p. 315)

AD EGREGIUM VIRUM CAROLUM FLORY, PRAESIDEM COETUS CONVENTIBUS CATHOLICORUM « SEMAINES SOCIALES » IN GALLIA APPARANDIS.

C'est un geste bien touchant, que vous avez filialement accompli, lors de votre dernier voyage à Rome, en déposant entre Nos mains le compterendu de la Semaine Sociale de Toulouse. L'œuvre que vous repreniez, juste au lendemain de la guerre, n'allait pas sans difficultés; mais Nous connaissons le zèle et la compétence des catholiques sociaux réunis dans la métropole Languedocienne, autour du courageux Prélat, que Nous eûmes la consolation d'élever à la dignité Cardinalice, et Nous constatons aujourd'hui, en feuilletant cet important recueil de vos travaux toulousains, que ne furent pas vains, bien au contraire, les espoirs que Nous mîmes en vous et en vos collègues, qu'il Nous plaît de féliciter et de bénir à nouveau.

Nous voyons dans les travaux de vos nouvelles assises, qui se tiendront, cette fois, dans la capitale Alsacienne, comme le complément et le prolongement de la Semaine Sociale de Toulouse, dans un cadre et une atmosphère, où puissent s'accomplir les justes réformes sociales et s'épanouir les institution postulées par un plus grand besoin de vraie liberté.

Vous étudierez donc à cet effet les divers problèmes de la communauté nationale, non pas entendue, comme l'ont voulu certains philosophes d'inspiration positiviste et anti-intellectualiste, dans le sens d'une collectivité, où les impulsions instinctives et les passions grégaires obscurcissent les caractères rationnels, juridiques et moraux de toute vraie société, mais uniquement pour mieux faire

ressortir tout ce qu'un pays — surtout quand il s'agit d'un pays comme la France et d'un peuple tel que la *nobilissima Gallorum gens* — comporte de légitimes diversités dans son unité nécessaire, de spontanéité aussi et de libre consentement, de don mutuel au sein de cette famille élargie et transcendante qu'est la patrie. Ce terme de communauté, ainsi compris, n'a-t-il pas d'ailleurs une saveur spécifiquement chrétienne, et l'Eglise primitive elle-même ne l'a-t-elle pas consacré? Comment enfin ne verrait-on pas dans l'Institution divinement fondée par N. S. Jésus-Christ un incomparable exemplaire, dont les sociétés d'ordre humain elles-mêmes ne trouveraient qu'avantage à s'inspirer? Rien d'étonnant à cela, l'Eglise étant le modèle de toute vie sociale précisément par le fait qu'elle a sauvé la véritable valeur de la personne humaine de la dégradation où l'avaient reléguée les philosophies et les mœurs païennes et que, dans cette même personne humaine, créée à l'image de Dieu, elle reconnait et défend la racine et la fin de toute vie sociale.

Vous ne sauriez trop dégager et affirmer ces grandes vérités, qui doivent présider à l'édification du corps social, alors que relèvent la tête des systèmes exacerbés jusqu'aux prétentions totalitaires en tous domaines, sans autre idéal qu'un égoïsme collectif et sans autre expression qu'un étatisme omnipotent, s'asservissant les individus comme des pions sur l'échiquier politique ou des numéros dans les calculs économiques. Il est inadmissible qu'un chrétien, fût-ce en vue de maintenir le contact avec ceux qui sont dans l'erreur, se compromette le moins du monde avec l'erreur elle-même. Ce contact ne manquera d'ailleurs pas de s'établir et de se maintenir entre les chrétiens qui usent loyalement et humblement des prérogatives de la vérité et les autres qui, loyalement et humblement aussi, cherchent la vérité.

Un esprit communautaire de bon aloi doit donc informer les membres de la collectivité nationale, comme

il informe naturellement les membres de cette cellule-mère qu'est la famille. C'est à cette condition seulement qu'on y verra prospérer les grands principes de liberté, d'égalité et de fraternité, dont veulent se réclamer les démocraties modernes, mais qui, sous peine des pires contrefaçons, doivent être entendus, cela va sans dire, comme les entendent le droit naturel, la loi évangélique et la tradition chrétienne, qui en sont à la fois — et eux seuls — les inspirateurs et interprètes authentiques.

Cette remarque s'applique, par exemple, au cas particulier qui vous intéresse en ce moment: la nationalisation des entreprises. Nos Prédécesseurs et Nous-même avons avons plus d'une fois touché le côté moral de cette mesure. Or, il est pourtant évident que, au lieu d'atténuer le caractère mécanique de la vie et du travail en commun, cette nationalisation, même quand elle est licite, risque plutôt de l'accentuer encore et que, par conséquent, le profit qu'elle apporte au bénéfice d'une vraie communauté, telle que vous l'entendez, est fort sujet à caution. Nous estimons que l'institution d'associations ou unités corporatives, dans toutes les branches de l'économie nationale, serait bien plus avantageuse à la fin que vous poursuivez, plus avantageuse en même temps au meilleur rendement des entreprises. En tout cas, cela vaut certainement partout où, jusqu'à présent, la concentration des entreprises et la disparition des petits producteurs autonomes ne jouaient qu'en faveur du capital et non de l'économie sociale. Aucun doute d'ailleurs que, dans les circonstances actuelles, la forme corporative de la vie sociale et spécialement de la vie économique favorise pratiquement la doctrine chrétienne concernant la personne, la communauté, le travail et la propriété privée.

Il n'est donc pas indifférent, aujourd'hui moins que jamais, d'inventorier les conditions d'une telle communauté nationale, vivante et forte, non exclusive, certes, ni niveleuse des légitimes autonomies, mais respectueuse de

tous les droits et ouverte sur cette communauté plus vaste qu'est l'humanité.

Strasbourg, où la vie universitaire et catholique a toujours été en honneur, et dont la position géographique elle-même n'est pas sans accroître son heureuse influence jusque sur les pays et les peuples, que baignent les eaux du Rhin, Strasbourg se prêtera particulièrement bien à cet enseignement de lumière et de paix. Il n'est pas jusqu'à la haute flèche de sa fameuse cathédrale qui ne Nous paraisse, à cette occasion, comme le point de ralliement de tous les hommes de bonne volonté, pour l'élaboration d'une juste et pacifique communauté nationale et internationale.

La Semaine Sociale de Strasbourg, sous l'égide d'un Evêque, en qui revivent la fermeté de caractère et la bonté d'âme du vénéré et regretté Monseigneur Ruch, contribuera efficacement à remettre, à cet égard, de l'ordre dans les esprits et de la charité dans les cœurs. L'Alsace, terre de bon sens et de solides vertus, méritait bien de voir ce monument de sagesse chrétienne s'élever de son sol généreux, où confluera, en l'occurrence, une pléiade de professeurs et de techniciens, d'hommes politiques et d'hommes d'œuvres, auxquels Nous envoyons de tout cœur, ainsi qu'à leurs nombeux et fervents disciples, et par dessus tout à la Commission des Semaines Sociales de France et aux membres de la Hiérarchie, qui ne ménageront pas sur un si important sujet leurs précieux conseils, comme gage de fécond travail et de surnaturel succès, la Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, le 10 Juillet 1946.

PIUS PP. XII

27 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Allocutio

AD DELEGATOS SUPREMI CONSILII POPULI ARABICI PALESTINAE *

(*AAS* XXXVIII [17 sept. 1946] p. 322)

Nous sommes heureux, avant tout, de recevoir une Commission, qui vient au nom d'un Peuple, dont Nous connaissons et apprécions le caractère généreux et l'attachement à certains principes, qui sont à la base de la Religion, et par là constituent une indispensable condition d'ordre social et de civilisation.

En outre, Nous ne pouvons manquer de considérer aussi la façon dont est composée cette Commission ici présente, qu'il Nous plaît de saluer comme un symbole de solidarité sociale et de cette pacifique communauté, qui, indépendamment de l'appartenance aux diverses familles ethniques, devrait avoir, pour ainsi dire, son siège précisément en Palestine, où Jésus, Prince de la paix, annonça et apporta la paix aux hommes de tous les temps et de toutes les nations.

Sans doute, la paix ne peut se réaliser que dans la vérité et dans la justice. Cela suppose le respect des droits d'autrui, de certaines positions et traditions acquises, spécialement dans le domaine religieux, comme d'ailleurs le strict accomplissement des devoirs et obligations, auxquels chaque groupe d'habitants est astreint.

Voilà pourquoi, après avoir d'ailleurs reçu, ces jours derniers encore, de nombreux appels et réclamations de diverses parties du monde, et pour divers motifs, il est superflu de vous dire que Nous réprouvons tout recours

* Die 3 Augusti mensis a. 1946.

à la force et à la violence, d'où que ce soit, comme aussi Nous condannâmes à plusieurs reprises, dans le passé, les persécutions qu'un fanatique antisémitisme déchaînait contre le peuple hébreu. Cette attitude de parfaite impartialité, Nous l'avons toujours observée dans les circonstances les plus variées, et Nous entendons Nous y conformer aussi à l'avenir.

Mais il est clair que cette impartialité, que Nous impose Notre Ministère Apostolique, qui Nous place au-dessus des conflits, dont la société humaine est agitée, en ce moment si difficile surtout, ne peut signifier indifférence. Aussi vous assurons-Nous que, dans la mesure où cela dépendra de Nous, et selon les possibilités, qui Nous seront offertes, Nous Nous emploierons pour que la justice et la paix en Palestine deviennent une bienfaisante réalité, créant par l'efficace coopération de tous les intéressés, un ordre, qui garantisse à chacune des parties présentement en conflit la sécurité de l'existence, en même temps que des conditions physiques et morales de vie, sur lesquelles puisse s'établir normalement un état de bien-être matériel autant que culturel.

C'est dans ces sentiments que, en vous remerciant de tout cœur de la visite que vous avez bien voulu Nous faire, Nous vous exprimons Nos plus paternels souhaits, pour vous, pour vos familles, pour ceux qui vous sont chers, et pour votre Peuple tout entier.

28 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Epistula

(*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 345)

AD EXC.MUM TOKIENSEM ARCHIEPISCOPUM CETEROSQUE JAPONIAE EPISCOPOS

PIUS PP. XII

A Nos Vénérables Frères les Evêques et Ordinaires du Japon, salut et bénédiction apostolique. — En prenant connaissance de votre Lettre collective, par laquelle, après une si longue et douleureuse interruption, se renouent enfin directement les liens de surnaturelle affection qui unissent le Pasteur Suprême avec les brebis et les agneaux de l'Eglise du Japon, Nous avons été profondément ému.

Elle Nous apporte, en effet, le témoignage de la patience et du courage, avec lesquels vous et vos ouailles avez enduré les affres de ce terrible conflit. Nous rendons grâces à Dieu qui vous a largement départi les vertus nécessaires en des circonstances parfois si tragiques, et Nous ne doutons pas que, pour prix de votre fidélité, il ne réserve à vos ardeurs apostoliques une ample et consolante moisson.

Nous ne pouvons pas, cependant, ne pas ressentir aussi un très vif regret des pertes considérables, que vos Diocèses, vos Paroisses et vos Œuvres ont éprouvées. Si, grâce à une protection extraordinaire, vous n'avez à déplorer que peu de pertes en vies humaines, il n'en reste pas moins que le support temporel de toutes vos activités religieuses a subi d'immenses dommages, et l'on ne peut évoquer sans douleur la destruction de vos principales cathédrales, de tant d'églises et de presbytères,

l'anéantissement de centres paroissiaux, tels que Urakami et Nakamachi, où le catholicisme au Japon plongeait ses plus anciennes et vigoureuses racines, sans compter les séminaires, les écoles, les couvents, les hôpitaux, que dans son aveuglement et sa violence, a emportés le fléau de la guerre.

Et pourtant, Vénérables Frères, votre ardeur et votre foi ne vacillent pas devant tant de ruines. On dirait au contraire qu'elles y puisent un nouvel élan. Déjà vous rassemblez vos chrétientés dispersées, déjà vous vous mettez au travail pour relever les murs calcinés, rouvrir de nouveaux sanctuaires, réparer les brèches matérielles et morales causées aux établissements et aux Œuvres catholiques. Nous le savons, l'effort, qui vous est demandé dans ce domaine, est énorme, et Nous voulons Nous-même Nous y associer, en prenant des dispositions pour que la charité pontificale vous vienne en aide, dans la mesure du possible, pour cette lourde tâche de reconstruction.

Mais, non content d'un concours matériel, si indispensable soit-il, étant donné l'exceptionnelle dureté des temps, c'est d'une assistance morale, plus importante encore, que Nous voulons vous assurer de toute Notre âme. Nos prières vous sont promises, plus instantes que jamais, pour que le Maître de la moisson répande la céleste rosée de sa grâce sur vos terres désolées, et y envoie de nombreux et fervents ouvriers apostoliques. A cet égard, Nous ne manquerons pas non plus d'intervenir auprès des Supérieurs de Congrégations missionnaires pour qu'ils dirigent vers ces portions éprouvées du champ du Père de famille des prêtres et des religieux, qui vous soient un précieux renfort dans la propagation de l'Evangile de paix et d'amour.

C'est qu'en effet s'ouvrent devant vous les perspectives d'un consolant avenir. Dieu fasse que les saintes ambitions nourries par St. François-Xavier à propos de votre patrie deviennent un jour une bienheureuse réalité. L'Egli-

se en tressaillira d'une joie maternelle et en dira sa plus vive reconnaissance au Père des lumières, d'où provient tout don excellent et toute grâce parfaite.

Nous vous adressons donc, Vénérables Frères, l'expression de Notre paternelle complaisance et de Nos chaleureux encouragements, pour que vous en fassiez part aussi à vos chers et fidèles troupeaux; et, priant le Seigneur de sécher vos larmes et de faire renaître chez tous, sous l'égide de vos Martyrs japonais et surtout de leur Reine, la Très Sainte Vierge Marie, l'espoir invincible et la ferme confiiance en un avenir meilleur dans l'ordre chrétien, Nous vous accordons avec effusion, ainsi qu'à votre Clergé, et spécialement aux Missionnaires si méritants, aux religieux et religieuses, à tous les fidèles du Japon, comme gage de souverain réconfort, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome près St. Pierre, le XVII Mai de l'année MDCCCCXXXXVI, de Notre Pontificat la huitième.

PIUS PP. XII

29 - S. S. Congregatio S. Officii

DECRETUM

SAC. FERDINANDUS TARTAGLIA, DIOECESEOS PARMENSIS, DECLARATUR EXCOMMUNICATUS VITANDUS.

(*AAS* XXXVIII [1 Aug. 1946] p. 280).

Cum sacerdos Ferdinandus Tartaglia, e dioecesi Parmensi, in Archidioecesi Florentina commorans, iure deferendi habitum ecclesiasticum iam privatus, quia proprio Ordinario legitime praecipienti et prohibenti quominus falsam doctrinam disseminaverit pertinacitẽr non obtemperasset, verbis et scriptis, haeresim propugnavisset, quin immo ipsa religionis fundamenta evertere nisus esset, cumque monitio de excommunicatione declaranda nisi a con-

tumacia recederet incassum cessisset. Eminentissimi ac Reverendissimi Patres rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito voto Rev.morum Consultorum, in Plenario Coetu Feriae IV, die 22 Maii vertentis anni, eumdem Ferdinandum Tartaglia sacerdotem, ad normam can. 2314, excommunicatum declararunt cum omnibus iuris effectibus atque ipsum vitari debere edixerunt.

Sequenti Feria V autem, die 23 maii 1946, Ss.mus D. N. Pius, divina Providentia Papa XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori Sancti Officii concessa, Eminentissimorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 4 Iunii 1946.

IOANNES PEPE, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

30 - S. Congregatio de D. Sacramentorum

I

DECRETUM

DE CONFIRMATIONE ADMINISTRANDA IIS, QUI EX GRAVI MORBO IN MORTIS PERICULO SUNT CONSTITUTI.

(*AAS.* XXXVIII [3 Oct. 1946] p. 349)

Spiritus Sancti munera sacramento Confirmationis conferri catholica doctrina proclamat. Hinc impensa Ecclesiae cura ut pueri, aquis baptismi abluti, tali reficiantur sacramento, quo superni Paraclyti charismata adipiscantur ad robur susceptae baptismo fidei adiiciendum, ut gratiae amplitudine perfusi Christique militis charactere insigniti ad omne opus bonum instructi evadant ac renuntientur.

Licet explorati iuris sit Confirmationem ad animarum salutem de necessitate medii haud requiri (can. 787 Codicis I. C.), ob eius tamen praecellentiam et ampla quae secumfert praeclara dona, omni ope est adnitendum pa-

rochis ceterisque pastoribus ut christianorum nemo, data occasione, tam excellens salutiferae Redemptionis mysterium negligat; quum admirabili sit adiumento ad acriter decertandum contra diaboli nequitiam, mundi et carnis illecebras; ad gratiae virtutumque omnium in terris, gloriaeque maius incrementum assequendum in coelis [1].

Quamquam nihil intentatum relinquunt vigiles animarum rectores ut, quantum fieri potest, baptizati omnes hoc sacramento rite muniantur et quidem vix cum ad aetatem rationis participem pervenerint, scilicet circa septennium: quod profecto septennium antevertere licet, prout expresse cavetur canone 788, « *si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur* »; permultos nihilominus ex habitis hac de re rationariis constat pueros, utpote morti magis obnoxios, etiam multo antequam aetatem ratione utentem attigerint, ex hac vita sacro chrismate non delibutos decedere, praesertim hisce nostris temporibus post dirissimum belli flagitium; quod et de adultis non paucis, qui in puerili aetate variis de causis confirmari non potuerunt, cotidiana experientia testatur.

Hoc quidem incommodum praecavetur in Ecclesia Orientali, ubi mos est infantes, statim post receptum baptismum, confirmandi. Eadem disciplina in usu quidem erat primis Ecclesiae saeculis etiam apud Latinos, et adhuc servatur ex legitima consuetudine penes quasdam nationes: communis tamen lex Ecclesiae Latinae, in citato can. 788 recepta, statuit ut huius sacramenti administratio differatur ad septimum circiter aetatis annum, quo, aequa praemissa catechesis instructione, pueri uberiores sacramenti sortiantur effectus [2].

---

[1] S. Thomas, p. III, quaest. 72, art. 8 ad 4.

[2] Cfr. Instructio S. C. de Sacr. edita die Pentecostes (20 maii) 1934, pro simplici sacerdote sacr. Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante (*A.A.S.*, vol. XXVII, p. 11 seq.); Instructio S. C. de Prop. Fide 4 maii 1774; Instructio S. Officii m. iulii 1888.

Porro ratio praecipua cur tam immodicus christicolarum numerus sine susceptione huius sacramenti de hac vita demigret, in eo est reponenda, quod iisdem in vitae discrimine constitutis ob Episcopi absentiam opportunitas non exhibetur hoc sacramentum suscipiendi.

Definitae doctrinae est solum Episcopum esse *ordinarium* confirmationis ministrum[3] (can. 782 § 1): proindeque Apostolica Sedes iugiter sedulo studuit, ut huius sacramenti collatio Episcopo, tamquam ius et officium ipsi proprium, quantum fieri potuisset, reservaretur. Haec vero S. Congregatio semper religiose cavit, ne detrimentum pateretur reverentia huic sacramento debita et offensionem piae plebis exspectatio ob privationem personae Episcopi, neve illius administrationis conspicuus offuscaretur splendor ac sollemnis, qui decet, minueretur apparatus.

Ast, necessitate bonoque fidelium id flagitante, non semel Apostolica Sedes passim indulgere compulsa est, ut Episcopo, qui in certis rerum et personarum adiunctis haberi non posset, simplex sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus sufficeretur, tamquam administer *extraordinarius* huius sacramenti (can. 782 § 2); qui congrua pompa eius administrationem perageret, praemonitis semper fidelibus Episcopum esse exclusivum ordinarium ministrum huiusce sacramenti illudque ab eo sacerdote conferri ex Apostolicae Sedis facultate[4], prout complura pontificia indulta luculenter ostendunt[5].

Ut igitur prospiciatur etiam spirituali condicioni tot infantium, puerorumque atque adultorum fidelium, qui ob gravem morbum in vitae discrimen adducantur, et certo certius mortem oppetant, quin sacro chrismate linantur, si observantia iuris communis quoad ordinarium ministrum adamussim urgeatur; necessarium visum est huic S. Con-

---

[3] Conc. Trident., sess. VII, *De confirmatione*, can. 3.
[4] Cfr. cit. Instr. S. C. de Sacr., III.
[5] Cfr. cit. Instr. S. C. de Sacr., I, n. 2; cit. Instr. S. C. de Prop. Fide; cit Instr. S. Officii; Formulae S. C. de Prop. Fide.

gregationi remedium aliquod exquirere ac suppeditare hac gravissima de causa, ut tam notabili fidelium numero offeratur occasio Confirmationis suscipiendae.

Huius negotii momentum perpendens Ss.mus D. N. Pius Papa XII, animarum saluti plenius consulere studens, prae maxima, quam gerit, sollicitudine universalis Ecclesiae, committere dignatus est huic S. Congregationi, pro sua potestate in hac solvenda quaestione, ut rem diligenter et impense expenderet in plenariis Comitiis, et resolutionem, quae opportuna sibi visa esset, Ipsi proponeret.

Sacra vero haec Congregatio, praehabitis votis plurium consultorum, doctrina prudentiaque praestantium, et ad trutinam revocatis insuper omnibus documentis et actis antea super disciplinam Confirmationis comparatis, totam rem sedulo examini subiecit Purpuratorum Patrum in pluribus Conventibus plenariis.

Mature autem perspecta, quae inde prodiit, sententia idem Summus Pontifex, in audientia Exc.mo huius Sacrae Congregationis Secretario die 6 Maii 1946 concessa, huic sacro Dicasterio mandavit ut decretum ederet quod disciplinam de Confirmatione administranda in peculiaribus adiunctis supra expositis digereret iuxta leges ab Ipso certa scientia et matura deliberatione probatas atque benigne declaratas.

Apostolico mandato ideo fideliter obsecundans haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum praesentibus litteris, quae infra recensentur, statuenda decrevit:

1. - Ex generali Apostolicae Sedis indulto, tamquam ministris extraordinariis (can. 782 § 2) facultas tribuitur conferendi sacramentum Confirmationis, in casibus tantum et sub condicionibus infra enumeratis, sequentibus presbyteris, iisdemque dumtaxat:

a) parochis proprio territorio gaudentibus, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet cumulativo, fruantur territorio;

b) vicariis, de quibus in canone 471, atque vicariis oeconomis;

c) sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis.

2. - Praefati ministri Confirmationem valide et licite conferre valent per se ipsi, personaliter, fidelibus tantummodo in proprio territorio degentibus, personis non exceptis in locis commorantibus a paroeciali iurisdictione subductis; non exclusis igitur seminariis, hospitiis, valetudinariis, aliisque omne genus institutis etiam religiosis quoquo modo exemptis (cfr. can. 792); dummodo hi fidedeles *ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevideantur.*

Si huiusmodi mandati limites iidem ministri praetergrediantur, probe sciant se perperam agere et sacramentum nullum conficere, incolumi praeterea manente statuto canonis 2365.

3. - Hac facultate uti possunt tum in ipsa episcopali urbe tum extra ipsam, sive sedes plena sit sive vacans, dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi suffici queat.

4. - Confirmatio conferatur servata disciplina per Codicem I. C. inducta et ad rem accommodata, nec non ritu adhibito ex Rituali Romano excerpto, quae fuse et ex integro infra transcribuntur: *gratis vero quovis titulo est conferenda.*

5. - Si confirmandi rationis usum sint assecuti, praeter statum gratiae, aliqua dispositio atque instructio requiritur ut fructuose hoc sacramentum valeant suscipere. Ministri igitur est pro singulorum aegrotorum captu eos edocere de his, quae scitu sunt necessaria, intentionem ali-

quam suscitando percipiendi hoc sacramentum ad robur animae conferendum. Curari autem debet ab his, ad quos spectat, ut si dein convaluerint, opportunis institutionibus circa fidei mysteria, naturam atque effectum huius sacramenti diligenter instruantur[6]. (Cfr. can. 786).

6. - Ad normam can 798, collati sacramenti adnotationem minister extraordinarius in paroeciali confirmatorum libro peragat, ibidem inscribendo nomen suum ac nomina confirmati (et si eius subditus non sit, etiam illius dioecesis et paroeciae), parentum et patrini, diem et locum, adiectis demum verbis: « *confirmatio collata est ex Apostolico indulto, urgente mortis periculo ob gravem confirmati morbum* ». Adnotatio facienda est etiam in libro baptizatorum ad normam can. 470 § 2.

Si confirmatus sit alienae paroeciae, quamprimum minister ipse de collato sacramento parochum confirmati proprium certiorem reddat per authenticum documentum, quod omnes notitias complectatur, de quibus supra.

7. - Ministri extraordinarii tenentur praeterea singulis vicibus statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuntium mittere collatae a se Confirmationis, additis adiunctis omnibus in casu concurrentibus.

8. - Ordinarii loci est ministros extraordinarios, de quibus supra, huius decreti praescriptiones meliore, quem censuerit, modo edocere, iisdemque singillatim explanare ut pares omnino inveniantur tam gravi negotio obeundo.

9. - Eiusdem Ordinarii loci officium est quolibet anno, sub initio anni proxime insequentis, *relationem* mittere ad hanc S. Congregationem de numero confirmatorum, necnon de ratione a ministris extraordinariis suae dicionis in tam praeclaro munere perfungendo adhibita.

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo Secretario huius Sacrae Con-

---

[6] Cfr. S. Off., 10 apr. 1861 in Collect S. C. de Prop. Fide, edit. a. MCMVII, vol. I, p. 663, n. 1213; Cathechismus Romanus, *De Confirmatione*.

gregationis die 20 Augusti 1946 concessa, decretum de quo supra approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus; mandavitque ut idem decretum, in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali* edendum, vim legis habere incipiat a die 1ª Ianuarii 1947.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 14 Septembris anni 1946.

D. Card. Jorio, *Praefectus.*

F. Bracci, *Secretarius.*

L. ✠ S.

II

DISCIPLINA CODICIS I. C. SERVANDA IN CONFIRMATIONE CONFERENDA VI HUIUS APOSTOLICI INDULTI

1. - Sacerdos, cui facultas haec concessa fuerit, probe sciat sacramentum Confirmationis conferri debere per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta (can. 780).

2. - Hoc sacramentum, quod characterem imprimit, iterari nequit; si vero prudens dubium exsistat, num revera vel num valide collatum fuerit, sub conditione iterum conferatur (can. 732).

3. - Chrisma, quod huic sacramento administrando, etiamsi per presbyterum simplicem, inservit, debet esse ab Episcopo, cum Apostolica Sede communionem habente, consecratum feria V *in Coena Domini* proxima superiore; neque adhibeatur vetus, nisi necessitas urgeat. Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia (can. 734, 781). Nunquam vero licet sine chrismate Confirmationem

administrare vel illud ab Episcopis haereticis aut schismaticis accipere. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita (can. 781 § 2).

4. - Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, Confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent Confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus (can. 782 §§ 4 et 5).

5. - Presbyter privilegio apostolico donatus, obligatione tenetur sacramentum hoc illis, quorum in favorem est concessa facultas, rite et rationabiliter petentibus conferendi (can. 785 §§ 1 et 2).

6. - Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant (can. 787).

7. - Ex vetustissimo Ecclesiae more, ut in baptismo, ita etiam in Confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit (can. 793).

8. - Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praesentet, nisi aliud iusta de causa ministro videatur; unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus (can. 794).

9. - Ut quis sit patrinus, oportet:

1° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus, aut infamis infamia iuris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

3° Non sit pater, mater, coniux confirmandi;

4° A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus;

5° Confirmandum in ipso Confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat (can. 795).

10. - Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet:

1° Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime Confirmatio conferatur;

2° Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur;

3° Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur;

4° Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;

5° Fidei rudimenta noverit:

6° In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis;

7° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia (can. 796 et 766).

11. - Ex valida Confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi (can. 797). Ex hac tamen cognatione spirituali non amplius oritur impedimentum ad matrimonium (can. 1079).

12. - Ad collatam Confirmationem probandam, modo nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili aetate (can. 800).

13. - Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum Confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat (can. 2365).

III

RITUS SERVANDUS A SACERDOTE VI HUIUS APOSTOLICI INDULTI CONFIRMATIONEM CONFERENTE [7]

Cum tempus advenerit, quo sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem aegrotanti in periculo mortis constituto intendit, saltem stola, si superpelliceum habere non possit, indutus, circumstantes admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est; se vero collaturum esse illam iure per S. Sedem delegato. Cavere debet ne coram haereticis aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

Dein moneat patrinum (vel matrinam) ut ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, sive infantis, sive adulti.

Stans igitur versa facie ad confirmandum, iunctis ante pectus manibus, dicit:

℣. Spíritus Sanctus supervéniat in te et virtus Altíssimi custódiat te a peccátis.

℟. Amen.

Deinde, signans se a fronte ad pectus signo crucis, dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

℣ Dómine exáudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dominus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

---

[7] Cfr. *Rituale Romanum auctoritate Ss.mi D. N. Pii Pp. XI ad normam Codicis I. C. accommodatum*; editio typica a. MDCCCCXXV.

Tunc, extensis versus confirmandum manibus, dicit:

Orémus. *Oratio.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam) ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedísti ei remissiónem ómnium peccatórum: emítte in eum (eam) septifórmem Spíritum tuum Sanctum Paráclytum de caelis.

℟. Amen.

℣. Spíritum sapiéntiae et intelléctus.

℟. Amen.

℣. Spíritum consílii et fortitùdinis.

℟. Amen.

℣. Spíritum sciéntiae et pietátis.

℟. Amen.

Adímple eum (eam) Spíritu timóris tui, et consígna eum (eam) signo Crucis Christi, in vitam propitiátus aetérnam.

Per eùndem Dóminum Nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejùsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia saécula saeculórum.

Postea sacerdos inquirit de nomine confirmandi, et, summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta, confirmat eum dicens:

N. Signo te signo Cru✠cis, *quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, deinde prosequitur:* et confírmo te Chrísmate salùtis. In nomine Pa✠tris et Fí✠lii et Spíritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

Et leviter eum in maxilla caedit, dicens:

Pax tecum.

Sacerdos, postquam frontem confirmandi linierit sacro Chrismate, eam gossypio diligenter abstergat.

Tergit postea cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim; deinde aquam lotionis cum pane et gossypio in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in sacrarium.

Post lotionem ab ipso sacerdote dicitur:

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, a templo Sancto tuo, quod est in Jerùsalem.

℣. Glória Patri, et Fílio et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio et nunc et semper et in saécula saeculórum.

℟. Amen.

Et repetitur antiphona: Confírma hoc, Deus, *etc.*

Qua repetita, sacerdos stans versus infirmum, iunctis ante pectus manibus, dicit:

℣. Osténde nobis. Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, dicit:

Orémus. *Oratio*

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti spíritum, et per eos eorùmque successóres céteris fidélibus tradéndum esse voluísti; réspice propítius ad humilitátis nostrae famulátum, et praesta, ut ejus cor, cujus frontem sacro Chrísmate delinívimus, et signo Sanctae Crucis signávimus, idem Spíritus Sanctus in eo supervéniens, templum glóriae suae dignánter inhabitándo perfíciat: qui cum Patre et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, in saécula saeculórum.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Et vertens se ad confirmatum, ac faciens super eum signum Crucis, dicit:

Bene✠dicat te Dóminus ex Sion, ut videas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae, et hábeas vitam aetérnam.

℟. Amen.

Annotationes

Neminem profecto effugit peculiare momentum Decreti S. Congregationis de Sacramentis diei 14 sept. 1946 supra relati, quod inscribitur « *De confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti* ».

Decretum hoc plene satisfacit *postulatis* a pluribus Episcopis humiliter Sedi Apostolicae iamdiu porrectis atque *votis* traditis a nonnullis theologis et canonistis, praesertim occasione Codicis iuris canonici redigendi, simulque provide consulit peculiaribus quorumdam locorum necessitatibus atque spirituali animarum bono.

Nos ipsi in opere *De Sacramentis* (vol. I, n. 201, ed. 4a) haec scribenda censebamus: « Sacramentum Confirmationis est perfectio et consummatio Baptismi, quo gratia Spiritus Sancti confertur et robur ad firmiter credendum atque ad fidem strenue profitendam. Unde maximum momentum et peculiares effectus quoad vitam christianam. Quare opus esset ut magna opportunitas daretur fidelibus recipiendi hoc sacramentum. Dum in praxi non raro eius collatio differtur, et forte impossibilis fit ipsa sacramenti susceptio, ob defectum ministri, quatenus Episcopus propter dioecesis amplitudinem, locorum distantiam, viarum asperitatem etc., nequit se conferre in singulas paroecias, nec fideles illum adire valent ..... *Qua de causa optandum videtur* ut *facultas ministrandi sacramentum Confirmationis largius extendatur* ... Eo vel magis quod presbyteri orientales, paucis exceptis, facultate gaudent Confirmationis sacramentum conferendi. Cur in re tanti ponderis discrimen huiusmodi inter presbyteros latinos et orientales? *Posset v. g. concedi facultas Vicario Capitulari, Vicario Generali pro suo territorio et munere durante, et forte etiam parochis pro casu urgentis necessitatis seu imminente mortis periculo eoque tantum.* Haec dicta sint, salvo sapientissimo Apostolicae Sedis iudicio ».

Complura dici possent, sub respectu dogmatico, canonico et historico, de Ecclesiae disciplina sive antiqua sive recentiore, tam latina quam orientali, quoad praedicti sacramenti administrationem. Quae tamen consulto praetermittimus, brevitatis causa; ea dumtaxat tradenda ducimus, quae propius Decretum attingunt quaeque ad eiusdem vim ac valorem et ambitum accuratius perspiciendum conferre videntur [1].

---

[1] Consulantur praesertim: S. Bellarminus, *De sacramento Confirmationis*, cap. 1 ss.; Beyer, *Tractatus de sacramento Confirmationis*, Anversae 1658; De Sainte-Beuve, *Tractatus de sacramento Confirmationis et Unctionis Extremae*, Parisiis 1686; Orsi, *Dissertatio historico-theologica de chrismate confirmatorio*, Mediolani 1733; Gau de Valon, *Manuum impositionis at-*

1. Decretum est vere et proprie *pontificium*, licet editum a S. Congregatione de Sacramentis, cum approbatum fuerit in forma *specifica* a S. Pontifice eiusque iussu rite promulgatum, additis verbis: « *Contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus* ».

Hoc decretum habet vim legis universalis pro tota Ecclesia latina.

2. Facultas conferendi sacramentum Confirmationis nequaquam conceditur omnibus et singulis presbyteris qui animarum curam exercent, sed tantum iis qui sequuntur:

a) *Parochis proprie dictis*, de quibus in can. 451, § 1, scil. illis animarum pastoribus qui proprium habent territorium cum peculiari ecclesia et populo determinato (cfr. can. 216, § 1).

Excluduntur parochi *personales* seu *familiares* de quibus in citato can. 216, § 4, si proprio territorio sibi assignato carent, ut plerumque accidit; nam huiusmodi parochorum iurisdictio directe ac immediate personas vel familias respicit, independenter omnino a territorio, illosque afficit ubicumque versentur et quocumque se conferant. Habentur tamen etiam nonnulli parochi personales et familiares, qui ex peculiari Sedis Apostolicae praescripto gaudent territorio proprio, quatenus eorum potestas coarctatur intra fines territorii praefiniti, et exercetur duntaxat in personas et familias, quae ibi commorantur. Hoc in casu, ut patet, territorium est comulativum, quippe competit tam praefatis parochis personalibus et familiaribus, quam aliis presbyteris qui pro ceteris fidelibus in territorio degentibus curam animarum gerunt.

---

que unctionis in Confirmationis sacramento dissertatio, Coloniae 1832; Jansses, *La Confirmation*, Lille 1888; Lépicier, *Tractatus de Baptismo et Confirmatione*, Romae 1923; D'Alès, *Baptême et Confirmation*, Paris 1927; De Smet, *Tractatus dogmatico-moralis de sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione*, Brugis 1925; *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III v. *Confirmation*, col. 975-1103; Suarez, *De confirmatione*, disp. 33-39; Lennerz, *De sacramento Confirmationis*, Romae 1945; Cappello, *De sacramentis*, I, n. 22 ss.

Paroeciis stricte personalibus et familiaribus quae complectuntur omnia membra unius eiusdemque familiae, aequiparantur paroeciae *gentiliae* ratione originis seu stirpis, quae omnes, sive cognatos sive agnatos, eiusdem gentis comprehendunt.

Nonnullae ex praefatis paroeciis exsistunt *in agro romano* pro quibusdam familiis Principum Urbis antiquo apostolico indulto constitutae.

Ex praescripto can. 460, § 2 in paroecia unus tantum debet esse parochus, qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio ac statuto (cfr. resp. Pontif. Comm. Codicis, 14 iul. 1922). At si leges fundationis stricte sumptae curam animarum *cumulative* exercendam forte statuant, vim suam adhuc retinent; proinde in isto casu sicuti habetur legitima iurisdictio cumulativa quoad cetera munia paroecialia, ita habetur etiam quoad potestatem conferendi sacramentum Confirmationis[2].

Exsistunt quoque paroeciae, quae ratione linguae vel nationalitatis aut ritus constitutae ac divisae reperiuntur (cfr. can. 216, § 4). Rectoribus istarum paroeciarum applicatur principium modo traditum: si habent territorium proprium, sive exclusivum sive plerumque cumulativum, earum rectores gaudent praedicta facultate confirmandi; si carent certo territorio proprio, ea facultate iidem non fruuntur.

Ista facultas competens parochis est ipso iure adnexa officio paroeciali. Proinde *obtinetur* per officii consecutionem, *manet* quamdiu perdurat officium, *cessat* per eiusdem amissionem, quocumque modo haec accidat (renuntiatione, privatione, translatione etc.; can. 183, 188, 208). A quonam momento *incipit* potestas? Non a die quo eli-

---

[2] De parochis praedictis erudite disserit Card. De Luca, *De iurisdictione*, disc. 1, n. 9; disc. 20 et 33; *De parochis*, disc. 24. Cfr. etiam S. C. Concilii in causa *Spoletana* 18 iul. 1733, 16 mart. 1737; in causa *Cremonen.* 26 iul. 1879, 24 april. 1880.

gitur seu designatur parochus, aut quo per bullam pontificiam vel episcopalem ipsi confertur paroecia, sed incipit a momento captae canonicae possessionis ad normam can. 1444, § 1.

Parochus excommunicatus, suspensus vel interdictus gaudetne praefata potestate? Ante sententiam condemnatoriam vel declaratoriam gaudet, licet usus eiusdem *per se* illicitus sit: post sententiam, non fruitur ob analogiam depromptam ex canonibus 1095, § 1, 1°, 2265, § 2°, 2275, § 3°, 2283. A fortiori id valet de excommunicato vitando. Nec datur profecto paritas inter parochum et Episcopum, qui semper *valide* — etsi forte haereticus vel schismaticus, excommunicatus, suspensus etc. — sacramenta conficit et administrat. Nam Episcopus est *ordinarius* minister sacramenti Confirmationis, quam ex sola potestate ordinis seu ex plenitudine sacerdotii confert sine ulla peculiari facultate a S. Pontifice obtenta. Aliter parochus, qui in casu est minister *extraordinarius* quique nonnisi ex speciali facultate concessa a Papa valet sacramentum illud ministrare; Papa autem talem potestatem concedens, potest eiusdem usum, non solum quoad liceitatem sed etiam quoad *validitatem*, certis condicionibus alligare ac intra certos limites circumscribere, v. g. in ordine ad tempus vel loca aut personas etc.

b) *Vicariis perpetuis* vel *actualibus*, de quibus in can. 471, *competit memorata facultas confirmandi;* iis nempe presbyteris qui actualem gerunt curam animarum in paroecia quae pleno iure unita sit domui religiosae vel ecclesiae capitulari aut alii personae morali. In hoc casu parochus est ipsa persona moralis, scil. monasterium, Capitulum, Seminarium, collegium etc. (cfr. can. 451, § 1), cui competit cura *habitualis* paroeciae. Cura autem *actualis* universa cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus pertinet exclusive ad vicarium (can. 471, § 4).

Potestas incipit a momento initi officii; inhaeret offi-

cio, cessat per amissionem ipsius, suspenditur lata sententia condemnatoria vel declaratoria, ut supra dictum est.

c) *Vicariis oeconomis,* de quibus in can. 472, *item tribuitur confirmandi facultas,* sc. sacerdotibus qui vacantem paroeciam regunt. Isti vicarii gaudent iisdem iuribus et iisdem officiis tenentur, ac parochi, in iis quae animarum curam spectant (can. 473, § 1). Potestas incipit, obtinetur, cessat vel suspenditur, ut supra.

d) *Iis quoque sacerdotibus competit praedicta facultas,* « quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis ».

Quatuor condiciones requiruntur: 1°, ut animarum cura sit commissa iure *exclusivo,* non autem cumulativo forte cum allis vicariis paroecialibus exercenda; 2°, ut sit concredita modo *stabili,* non precario, vel ad tempus aut ad nutum Episcopi; quae stabilitas non est confundenda, accurate loquendo, cum perpetuitate, et potest esse maior aut minor, magis aut minus firma, ut liquet v. g. ex can. 454, § 2; 3°, ut rector habeat certum praefinitum territorium ac determinatam ecclesiam pro divinis officiis obeundis in fidelium utilitatem; 4°, ut eidem rectori plena animarum cura sit commissa cum omnibus iuribus et officiis parochorum. Tales sunt sacerdotes, qui praeficiuntur vicariis perpetuis proprie dictis, de quibus in can. 1427; earum rectores variis nominibus vocari solent, nempe *vicarii, curati, mansionarii.* De his vicariis actum fuit pluries penes S. C. Concilii, v. g. in causa *Principis Alberten. et Suskatoonen.,* 5 mart. 1932, atque decisum rectores ipsarum teneri ad Missam pro populo applicandam « si plena potestate paroeciali sint praediti » (*A.A.S.* XXV, p. 438).

Istae vicariae exsistunt et reguntur *de facto* tamquam paroeciae; at verae paroeciae *iuridicae* non sunt, quia deest canonica erectio. Interdum plena potestas paroecialis non competit rectoribus, v. g. quoad matrimonia et funera. Quo in casu deest condicio praedicta ac propterea

facultas confirmandi non datur. Utrum vero *plena* animarum cura sit commissa cum omnibus parochorum iuribus et officiis, necne, id eruendum ex constitutione vicariae, ex statutis dioecesanis, ex litteris deputationis.

Vicaria perpetua est beneficium curatum (cfr. can. 1411, 5°; 1412, 1°, 1427, § 3); ideoque, ad consecutionem et amissionem facultatis quod attinet, itemque ad suspensionem eiusdem quod spectat, idem ac supra dicendum.

3. Ex hucusque traditis manifeste liquet quosdam animarum pastores confirmandi facultate minime frui.

Sane excluduntur: *a)* rector Seminarii, licet ex can. 1368 officium parochi obeat, cum Seminarium sit exemptum a iurisdictione paroeciali; *b)* cappellanus hospitalis, orphanotrophii, domus piae vel religiosae, cuiusvis collegii, quamvis exempti a iurisdictione parochi et forte ipsius quoque Ordinarii loci (cfr. can. 1492, § 1); *c)* parochi personales, familiares, gentilitii, exceptis supra memoratis; *d)* vicarii substituti, adiutores et cooperatores, de quibus in can. 474-476, nisi vicarii substituti vel adiutores, ut interdum accidit, sint *stabiliter* constituti eisque competat *plena animarum cura.*

4. Usus *validus* et *licitus* facultatis intra certos limites et sub certis condicionibus expresse praefinitur, sc.: 1°, parochus debet per se ipse, *personaliter*, sacramentum administrare; proinde nequit deputare v. g. vicarium cooperatorem aliumve sacerdotem, quamvis sit infirmus aut legitime impeditus; 2°, debet sacramentum *in proprio territorio, eoque tantum*, ita ut ne pro suis quidem subditis valeat illud ministrare extra limites territorii seu paroeciae propriae; 3°, in proprio territorio potest sacramentum conferre tum subditis suis tum aliis ibi actu degentibus, etiam si sint quomodocumque ab eius iurisdictione exempti.

5. Quinam fideles confirmari possunt a parocho? Omnes fideles qui « *ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevideantur* ». Dicitur: a) *omnes fideles*, sive infantes, sive pueri, sive adulti, abs-

que ulla distinctione quoad aetatem, sexum aut condicionem, dummodo constet esse valide baptizatos; b) *ex morbo*, quicumque is sit et qualibet ex causa oriatur, non autem si mortis periculum procedat ex alio motivo, v. g. ex poena capitis vel ex operatione chirurgica subeunda, modo ista de se morbus haud sit et mortis periculum non secumferat; c) *ex gravi* morbo, ideoque excluditur morbus levis, nullius aut parvi momenti; gravitas morbi, ex prudenti praesertim medicorum iudicio, perpendenda est habito respectu ad naturam morbi, ad aetatem infirmi, ad physicam ipsius debilitatem, ad cetera id genus adiuncta; si morbus inducit mortis periculum, eo ipso gravis est atque ut talis habendus, sed non omnis morbus gravis est etiam periculosus (cfr. can. 523); d) *in vero mortis periculo constituti*, quatenus periculum debet revera exsistere seu certum sit oportet, non autem dubium aut mere probabile; e) *ex quo decessuri praevideantur*, ita ut non sufficiat periculum plus vel minus remotum aut leve, sed requiratur proximum seu imminens; tamen *periculum* probe distinguitur ab *articulo mortis* [3]; proinde minime opus est ut confirmandus versetur iam in extremis et quamprimum moriturus sit.

Haec omnia attendenda ac servanda sunt ad *validitatem* collationis sacramenti Confirmationis. Gravitas autem morbi atque exsistentia veri periculi mortis moraliter aestimandae sunt; quare si forte, collato iam sacramento, comperiatur revera morbum gravem et periculosum non fuisse, *dummodo prudenter id fuerit existimatum*, non debet propterea in dubium revocari validitas sacramenti.

6. Parochi uti possunt confirmandi facultate tum in ipsa urbe episcopali tum extra; sive sedes sit plena sive vacans. At omnino requiritur quod Episcopus dioecesanus nequeat vel legitime impediatur quominus ipse per se con-

---

[3] Cfr. Cappello, *De matrimonio*, n. 231; D'Annibale, *Summula*, I, n. 38.

ferat sacramentum, nec alius praesto sit Episcopus catholicus, quamvis titularis tantum, qui sine gravi incommodo Confirmationem ministrare possit. Impossibilitas ex parte Episcopi potest esse sive physica sive moralis, tam absoluta quam relativa; impedimentum et incommodum quodcumque sufficit, modo vere exsistat et grave seu notabile sit. Haec omnia *prudenter* ac *moraliter* aestimanda atque accipienda sunt.

7. Sacramentum, sancte et religiose servatis iuris canonici normis ac ritu et caeremoniis praescriptis, ministrari debet. Ritus essentialis, ut palam est, ad valorem servandus; cetera ad liceitatem. Ministranda est confirmatio « *gratis quovis titulo* ». Huc spectat praescriptum can. 736, quo statuitur: « Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat ... » Non applicatur in casu norma circa oblationes de quibus in can. 1507, § 1. Excluditur quodcumque motivum, ex. gr. ratione incommodi extrinseci, laboris, defatigationis, horae insuetae etc. Ista praescriptio fundatur in ipso iure divino, ratione sc. periculi irreverentiae erga sacramentum propulsandi et spiritualis fidelium damni et scandali avertendi. Vetitum urget sub gravi.

An minister, qui violaret hoc praescriptum, committeret simoniam, necne; utrum simonia in casu esset iuris divini, an iuris ecclesiastici, controvertitur inter DD.[4].

8. Circa dispositionem et instructionem requisitam in confirmando; circa adnotationem collati sacramenti, notitiam dandam parocho confirmati si hic ad alienam paroeciam pertineat, nuntium mittendum ad Episcopum etc., nihil videtur in specie animadvertendum, cum verba Decreti perspicua sint et peculiari declaratione non indigeant.

9. Decretum vim legis obtinet a die 1° ianuarii 1947, ideoque facultas incipit a media nocte praefatae diei (cfr.

---

[4] De hac quaestione aliisque connexis vide Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 81 ss.

can. 32, § 1, 34, § 3, 2°), ita ut si minister extraordinarius pridie conferret sacramentum aut paucis horis aut forte paucis minutis ante incoeptam mediam noctem, *invalide* ministraret.

10. Faxit Deus ut hoc Confirmationis sacramentum, ex facultate materno affectu ac provida benignitate ab Ecclesia ample concessa, a ministro extraordinario rite administretur, a fidelibus fructuose suscipiatur, atque proinde « confirmati decedentes maiorem (in coelis) gloriam consequantur » (S. Thom., *Summa theol.* III, q. 72, art. 8 ad 4).

F. M. CAPPELLO, S. I.

31 - S. C. de D. Sacramentorum

DECRETUM

DE ORDINANDIS TRIBUNALIBUS ECCLESIASTICIS DITIONIS CANADENSIS SUPER CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII DECIDENDIS.
(*AAS* XXXVIII [1 Aug. 1946] p. 281)

Excellentissimi Ordinarii ditionis Canadensis, prae oculis habitis iis quae Litteris Apostolicis « Qua cura », die 8 Decembris 1938 Motu Proprio a Pio Pp. XI f. r. datis (*A.A.S.*, vol. XXX, p. 410) pro tribunalibus ecclesiasticis Italiae salubriter provideque statuta sunt, itemque Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 20 Decembris 1940 pro reductione tribunalium Insularum Philippinarum (*A. A. S.*, vol. XXXIII, p. 363), necnon perpensis tum raritate causarum nullitatis matrimonii quae in ipsorum tribunalibus agitari solent, tum praesertim difficultates quas ipsi passim experiuntur idonea tribunalia constituendi, in Conventu mense Ianuario 1945 habito, sequentes postulationes Sanctae Sedi humiliter porrigendas esse statuerunt:

Ut nempe simili modo ac in Italia actum est per memoratum « Motu Proprio » necnon in Insulis Philippinis per laudatum Decretum, etiam in Canadensi ditione constituantur tribunalia provincialia pro tractatione causarum nullitatis matri-

monii et analogice inter eadem ordinentur tribunalia appellationis.

Quas preces cum Sacra haec Congregatio de disciplina Sacramentorum rite perpendisset, attento etiam voto Exc.mi Delegati Apostolici ditionis Canadensis easdem per infrascriptum Cardinalem Praefectum retulit Ss.mo Domino Nostro Pio divina Providentia Papae XII, in Audientia die 28 Ianuarii 1946 eidem benigne concessa.

Sanctitas vero Sua haec omnia quae sequuntur statuere dignata est, decernens eadem exsecutioni mandanda, contrariis quibuslibet, licet speciali mentione dignis, minime obstantibus.

I. In Canadensi ditione quoad tractationem causarum de nullitate matrimonii in prima instantia haec habeantur tribunalia et circumscriptiones:

1) Tribunal *Quebecense* pro binis provinciis ecclesiasticis Quebecensi et Sancti Germani de Rimouski, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Quebecen., Amosen., Chicoutimien., Nicoletan., Trifluvianen., Sancti Germani de Rimouski, Gaspesien., Sinus Sancti Laurentii, Vicariatus Apostolici de Labrador necnon Insularum a Magdalena;

2) Tribunal *Marianopolitanum* pro sua universa provincia ecclesiastica, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Marianopolitan., Jolietten., Sancti Hyacinthi, Sancti Ioannis Quebecen., Sherbrooken., Campivallen.;

3) Tribunal *Halifaxiense*, pro binis provinciis ecclesiasticis Halifaxiensi et Monctonensi, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Halifaxien., Antigonicen., Carolinapolitan., Monctonen., Bathursten. in Canada, Edmundstonen., Sancti Ioannis Canaden.;

4) Tribunal *Ottaviense* pro universa sua provincia ecclesiastica, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Ottavien., Hearsten., Montis Laurei, Pembroken., Timminsen., Vicariatus Ap. Sinus Iacobi;

5) Tribunal *Torontinum* pro binis provinciis ecclesiasticis Torontina et Kingstoniensi, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Torontin., Hamiltonen., Londonen., Kingstonien., Alexandrin. in Ontario, Peterboroughen., Sanctae Mariae Ormen.,

6) Tribunal *Reginatense* pro binis provinciis ecclesiasticis Reginatensi et Sancti Bonifacii necnon pro archidioecesi immed. subiecta Winnipegen., nempe pro territorio dioecesium: Reginaten., Gravelburgen., Princip. Alberten., Saskatoonen., Abbatiae Nullius S. Petri apud Muenster, Sancti Bonifacii, Vica-

riatus Apostolici Sinus de Hudson, Vicariatus Apostolici de Keewatin, Winnipegen.;

7) Tribunal *Vancuveriense* pro binis provinciis ecclesiasticis Vancuveriensi et Edmontonensi, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Vancuverien., Nelsonen., Victorien. in Insula Vancouver, Kamloopsen., Vicariatus Ap. de Prince Rupert, Vic. Ap. de Whitehorse, Edmontonen., Calgarien,. Vic. Ap. de Grouard, Vic. Ap. de Mackenzie.

II. Pro tractatione praedictarum causarum in gradu appellationis, incolumi semper facultate directe provocandi ad S. R. Rotam, iuxta can. 1599 § 1 Codicis I. C., ita procedetur:

Ad tribunal Marianopolitanum deferentur causae in prima instantia tractatae apud tribunalia Quebecense et Torontinum; ad tribunal Ottaviense quae apud tribunal Marianopolitanum; ad tribunal Quebecense quae apud tribunalia Ottaviense et Halifaxiense; ad tribunal Torontinum quae apud tribunalia Reginatense et Vancuveriense.

III. Officiales, iudices, promotores iustitiae, defensores vinculi aliique administri tribunalium provincialium de quibus supra, deligendi sunt et constituendi, ad definitum tempus, ab ab Excmis Ordinariis dioecesium respectivo tribunali provinciali pertinentium in Coetibus Provincialibus.

IV. Quoad iura et officia tribunalia provincialium ut supra, necnon quoad eorum agendi rationem, S. Congregatio de disciplina Sacramentorum definiet, necnon circa tempus executionis eorum quae supra statuta sunt et circa normas temporarias.

V. Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum vigilem sedulamque, pro suo munere, dabit operam, ut tum officiales, tum iudices, tum, praesertim, promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite naviterque perfungantur iuxta normas ab eadem S. C. editas vel edendas.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 28 mense Ianuario anno 1946.

D. Card. Jorio, *Praefectus*
F. Bracci, *Secr.*

L. ✠ S.

NORMAE

Pro exequendo decreto diei XXVIII Ianuarii MCMXLVI de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis ditionis Canadensis.

Ut ad effectum deducantur quae per Decretum diei 28 Ianuarii 1946 praescripta sunt, Sacra haec Congregatio quae sequuntur statuit:

Caput I

De tribunalis provincialis moderatore, iudicibus et ministris

Art. 1. Tribunal provinciale subest auctoritati Archiepiscopi loci in quo ipsum sedem habet, qui, proinde, idem regit et moderatur nomine omnium Episcoporum circumscriptionis tribunalis, eidemque omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum, ad normam sacrorum canonum et *Instructionis* Sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 Augusti 1936 (*A. A. S.*, vol. XXVIII, p. 313) circa proprium tribunal competunt, nisi aliter infra cautum sit vel subiecta materia aperte exigat.

Art. 2. Iudices et ministri tribunalis provincialis constituentur in Coetu Exc.morum Ordinariorum circumscriptionis tribunalis ad maiorem suffragiorum partem.

Art. 3. Curandum erit ut electi non modo morum integritate praestent, et laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant, sed tempus quoque sufficiens impendere valeant muneribus sibi collatis rite obeundis.

Art. 4. Nomina eorum qui electi sint ad munera officialis (necnon, si extent, vice-officialis vel vice-officialium), iudicum, promotoris iustitiae, defensoris vinculi (horumque, si adsint, substitutorum) cum Exc.mo Delegato apostolico ditionis Canadensis quamprimum ab Exc.mo Praeside Coetus Episcoporum communicentur, una cum indicatione aetatis, studiorum, curriculi vitae necnon cum testimonio circa eorum sacerdotales virtutes, eam etiam ob causam ut eidem Delegato Apostolico opportunitas praebeatur significandi utrum cuiusquam electorum nominationi aliquid obstet.

Art. 5. Nominationes de quibus supra generatim ad quin-

quennium fiant, salva facultate eas confirmandi ad successiva quinquennia.

Art. 6. Omnes qui tribunal provinciale constituunt aut idem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Archiepiscopo sedis tribunalis provincialis, si agatur de officiali, si vero de aliis coram Ordinario eiusdem sedis vel coram iudice a quo electi sunt vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agi ceperit si pro peculiari causa sint constituti, aut antequam suo munere fungi incipiant, si, causa pendente, suffecti sint ad normam art. 19 *Instructionis.*

Art. 7. Officiales, iudices, promotores iustitiae et vinculi defensores (necnon, si adsint, eorum substituti, nisi per modum actus deputati sint) ab Archiepiscopo sedis tribunalis provincialis removeri non possunt, durante munere, nisi gravi de causa et consultis prius totius circumscriptionis tribunalis Episcopis.

Art. 8. Nemo iudicis munere in causa fungi poterit qui advocati vel procuratoris munus actu exerceat in causis matrimonialibus, sive directe sive per interpositam personam, quamvis id agat apud alia tribunalia etiam Sanctae Sedis: idem valet pro iustitiae promotore et pro vinculi defensore. Iidem omnes districte etiam vetantur in quaslibet causas matrimoniales extra munus suum se quomodolibet ingerere.

Art. 9, Archiepiscopus sedis tribunalis provincialis, collatis consiliis cum ceteris Episcopis circumscriptionis tribunalis, album procuratorum et advocatorum pro tribunali conficiendum curet iuxta artt. 47-53 memoratae *Instructionis.*

Caput II

De modo procedendi in tractatione causarum matrimonialium

Art. 10. Ut tuto procedatur in causis matrimonialibus apud tribunalia provincialia pertractandis, adamussim servetur *Instructio* supra memorata, his tantum additis aut immutatis quae infra adnotantur.

Art. 11. Quoad competentiam tribunalis provincialis serventur normae artt. 1-12 praefatae *Instructionis*, attento quod tribunal provinciale, relate ad matrimoniales causas, est commune pro dioecesibus suae circumscriptionis simulque est proprium singulae cuiusque dioecesis circumscriptionis.

Art. 12. Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen tribunalis provincialis, dein dioecesis celebrati matrimonii vel partis conventae, postremo titulus causae, ex. gr. « *Tribunal Quebecense-Nicoletan. Nullitatis matrimonii* (*N. N.*) »: quando autem causa ipsa agitatur in gradu appellationis, ita inscribatur: « *Tribunal Appellationis Marianopolitanum-Nicoletan. Nullitatis matrimonii* (*N. N.*) ».

Art. 13. Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de existentia adiunctorum, de quibus in artt. 38 § 2 et 39, b) *Instructionis;* quod tamen iudicium antequam ferat, opportune cum Archiepiscopo sedis tribunalis provincialis aget.

Art. 14. Archiepiscopi sedis tribunalis provincialis erit tutorem aut curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 *Instructionis*, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae cui tutor vel curator constituendus est.

Art. 15. In casibus exceptis de quibus in cann. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Archiepiscopum sedis tribunalis provincialis qui, praehabito voto Episcopi domicilii coniugum de eadem videat ad normam tit. XV *Instructionis* citatae. Officialis vero de quo in art. 228 *Instructionis* est officialis tribunalis provincialis.

Art. 16. Vinculi defensor facile ne omittat appellationem, de qua in art. 229 *Instructionis*, interponere ad tribunal alterius instantiae, praesertim cum agatur de impedimentis a quibus dispensari solet.

CAPUT III

De honorariis iudicibus et tribunalium ministris assignandis

Art. 17. Iudicum et ministrorum tribunalis stipendia seu remunerationes et honoraria Exc.mi Ordinarii determinent in Coetibus Episcoporum circumscriptionis tribunalis, prae oculis habitis adiunctis dioecesium et praesertim causarum agendarum numero: adeo ut iidem congrua mercede, adaequata operi revera tribunali impenso, donentur.

Art. 18. Eadem emolumenta generatim moderata esse debent, attento etiam quod iudices et ministri tribunalis iam aliquo ecclesiastico beneficio provisi plerumque sunt: at simul sufficientia sint ipsa emolumenta ne iidem impediantur a servitio tribunali assidue praestando ex necessitate aliunde subsidia vitae quaeritandi.

Art. 19. Exc.mi Ordinarii in Coetibus circumscriptionis tribunalis statuent (si id sibi videatur necessarium) contributionem singularum dioecesium pro expensis tribunalis provincialis, proportionatum numero catholicorum et, si opportunum visum fuerit, causarum singularum dioecesium.

Caput IV

De taxis et expensis iudicialibus necnon de retributione procuratorum et advocatorum

Art. 20. Exc.mi Ordinarii in Coetibus Episcoporum circumscriptionis tribunalis provincialis, probe consideratis locorum et temporum adiunctis, approbent notulam taxarum et expensarum iudicialium necnon emolumentorum ad procuratores et advocatos spectantium pro causis in tribunali provinciali pertractandis; quae emolumenta, uti par est, distabunt a procuratorum et advocatorum proventibus in tribunali S. R. Rotae vigentibus (*A. A. S.*, vol. XXXI, p. 622).

Art. 21. Notula expensarum et emolumentorum, de qua in praecedenti articulo, notificetur omnibus litigantibus; Exc.mi Ordinarii autem et tribunalia prae oculis sedulo habeant praescripta art. 54 *Instructionis.*

Normae temporariae seu transitoriae

Quae praecedunt exsecutioni mandentur die ab Exc.mo Delegato Apostolico ditionis Canadensis statuenda.

Quoad causas quae dicta die pendentes in prima instantia invenientur in tribunalibus dioecesanis, ita procedatur:

1) Si libellus iam oblatus est, nec adhuc ad litis contestationem seu dubiorum concordantiam (c. 1727 Cod. I. C., art. 88 *Instructionis*) deventum sit, libellus ipse transmittatur ad competens tribunal provinciale, neque de causa ulterius agat tribunal dioecesanum.

2) Si instructio processus sit tantum initiata et partes, necnon vinculi defensor et, si causae intersit, promotor iustitiae, non obstent, processus deferri potest ad tribunal provinciale.

3) Causa iam conclusa (art. 177 *Instructionis*), tribunal dioecesanum sententiam definitivam edat necesse est.

4) Idem fiat, mutatis mutandis, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

5) A sententia tribunalis dioecesani, si quidem fuit primi gradus, appellatio interponatur apud tribunal appellationis quod esset competens si eadem sententia lata fuisset a tribunali provinciali primae instantiae.

Si fuerit secundi gradus, applicentur praescripta communia de quibus in artt. 212-222 *Instructionis.*

SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia infrascripto huius Sacrae Congregationis Praefecto die 13 Maii 1946 concessa, praesentes Normas benigne confirmare et ratas habere dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 13 Maii 1946.

D. Card. Jorio, *Praefectus.*
F. Bracc, *Secretarius.*

L. ✠ S.

32 - S. Congregatio Rituum

DECRETUM

DE FACULTATE EDENDI LIBROS LITURGICOS
(*AAS* xxxviii [3 Oct. 1946] p. 371).

Quanta sedulitate liturgicis libris edendis Sacra Rituum Congregatio semper advigilaverit, cum decreta identidem in hunc finem lata, tum reverentia quam sacris Voluminibus ab omnibus haberi voluit, luculenter commonstrant. Hinc reservatio tituli « Typographi Pontificii », quem paucis tantum et quidem probatis typographis decursu temporis concessit; hinc etiam Sacrorum Librorum revisio, quam ipsamet Congregatio accuratissime peragere solet.

Attamen iamdudum, varias ob causas, mos invaluit, ut quilibet typographus, accedente consensu atque approbatione proprii Ordinarii, libros liturgicos et praesertim Missale et Breviarium Romanum, haud semper ea qua decet

forma et textus puritate, in lucem edat. Ut autem huic incommodo provideatur et decori, quo res ad divinum cultum pertinentes nitere debent, consulatur, textusque sacri emendatissima exhibeatur lectio, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII haec quae sequuntur statuenda decrevit, sublata quavis concessione atque abusu in contrarium existente:

1) Uni dumtaxat Typographiae Vaticanae, ceteris exclusis, libros liturgicos typis excudendi ius esto.

2) Quilibet typographus, sive pontificio diplomate gaudet, sive non, toties a S. Rituum Congregatione licentiam obtinere debebit, quoties hos libros edere velit.

3) Administrationis Bonorum S. Sedis est pro publica horum librorum divulgatione singulis vicibus condiciones ferre.

4) Concordantia cum editione Vaticana ab Ordinario, iuxta can. 1390 Cod. Iuris Canonici, concedenda, ne subscribatur ab ipsis nisi post diligentem atque accuratam viri in re liturgica periti revisionem.

5) Ad huius decreti effectum, hi qui sequuntur liturgici accensentur libri:

Breviarium Romanum — Missale Romanum — Rituale Romanum — Pontificale Romanum — Martyrologium Romanum — Caeremoniale Episcoporum — Memoriale Rituum — Octavarium Romanum — Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Romae, 10 Augusti 1946.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius.*

33 - S. Paenitentiaria Apostolica

DUBIA

DE PIO EXERCITIO VIAE CRUCIS
(*AAS* XXXVIII [1 apr. 1946] p. 160)

Sacrae Paenitentiariae Apostolicae dubia quae sequuntur pro opportuna solutione proposita fuerunt:

I. Utrum norma decreti d. d. 6 Augusti 1757, quo statuitur ut pro pio exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistens in qualibet statione ibique recitans consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus, valeat tantum pro publico *Viae Crucis* exercitio in ecclesia peracto vel etiam quando a religiosis peragitur in suis oratoriis?

II. Utrum in circumstantiis, de quibus in decretis d. d. 27 Februarii 1901 et 7 Maii 1902, quando scilicet in oratoriis religiosorum ob angustiam loci omnes religiosi simul a statione ad stationem sine perturbatione procedere nequeunt, ipsi Indulgentias pio Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint, si unus tantum religiosus vel, respective, una tantum religiosa circumeat et ad quamlibet stationem suetas preces praelegat, ceterique suo loco manentes, inibi pro qualibet statione exurgant et genuflectant?

III. Utrum in iisdem circumstantiis iam relatis pro religiosis et methodo ab ipsis servata, christifideles qui vitam communem agunt, de quibus in can. 929 C. I. C. Indulgentias pro pio Viae Crucis exercitio adnexas lucrari possint, si unus vir vel, respective, una mulier stationes Viae Crucis circumeat et suetas orationes recitet?

Et Sacra Paenitentiaria Apostolica die 25 Ianuarii vertentis anni respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II et III. *Affirmative.*

Facta autem de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio div. Prov. Pp. XII ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore in Audientia diei 18 huius mensis, idem SS.mus Dominus resolutionem Sacrae Paenitentiariae approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 20 Martii 1946.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

S. LUZIO, *Regens.*

L. ✠ S.

ACTA SUMMATIM RELATA

34 - SS. D. Pius Pp. XII

A — Constitutio apostolica *Amosensis*, 23 iunii 1945, qua Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Amosensi constituitur (*AAS* xxxviii]6 iul. 1946[p. 247).

B — Constitutio Apostolica *Sinus de Hudson* — *Sinus S. Laurentii* — *Portus Gratiae* (de Labrador), 13 iulii 1945, qua a Vicariatuum Apostolicorum Sinus de Hudson et Sinus Sancti Laurentii et a Dioecesis Portus Gratiae territorio pars seiungitur et novus erigitur Vicariatus Apostolicus « de Labrador » (*AAS* xxxv i]3 oct. 1946[p. 333).

C — Constitutio apostolica *Dubuquensis* — *Omahensis*, 28 iulii 1945, qua Cathedralis Ecclesia Omahensis a Metropolitico Ecclesiae Dubuquensis iure solvitur et in novam Metropolitanam Ecclesiam erigitur, cui suffraganeae constituuntur Ecclesiae Cathedrales Lincolnensis et Insulae Grandis, hucusque Dubuquensi Ecclesiae suffraganeae (*AAS* xxxviii]1 iun. 1946[p. 197).

D — Constitutio apostolica *Chicoutimiensis et Sinus S. Laurentii* (Sinus Sancti Laurentii), 24 novembris 1945, qua a dioecesi Chicoutimiensi et a Vicariatu Apostolico Sinus S. Laurentii territorii pars dismembratur, et nova exinde Diocesesis erigitur, sub nomine « Sinus S. Laurentii », quae Metropolitanae ecclesiae Quebecensi suffraganea constituitur (*AAS* xxxviii [3 oct. 1946] p. 335).

E — Constitutio apostolica *Portus Veteris* (de Esmeraldas), 14 decembris 1945, qua a Dioecesi Portus Veteris territorii pars seiungitur et nova erigitur Praefectura Apostolica « de Esmeraldas » (*AAS* xxxviii [3 oct. 1946] p. 338).

F — Constitutio apostolica *Milwaukiensis* — *Crossensis* — *Sinus Viridis* (Madisonensis), 22 decembris 1945, qua ab Archidioecesi Milwaukiensi et a Dioecesi Crossensi territorii pars Principem Reginaldum de Cröy, novum Belgii Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Beatissimo Patri Litteras publicas porrigentem (*AAS* xxxviii [7 maii 1946] p. 179).

dismembratur, ex qua nova erigitur Dioecesis « Madisonensis », ipsi Archidioecesi Milwaukiensi suffraganea. Item a Dioecesi Sinus Viridis pars dismembratur, quae Dioecesi Crossensi adiungitur (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 340).

G — Litterae apostolicae *Exulta, Lusitania felix*, 16 ianuarii 1946, quibus Sanctus Antonius Patavinus, Confessor, Ecclesiae universalis Doctor declaratur (*AAS* XXXVIII [1 iun. 1946] p. 200).

H — Epistula *Czestochoviensis Beatae Mariae Virginis*, 17 ianuarii 1946, ad Em.um P. D. AUGUSTUM tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyterum Card. HLOND, Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem ceterosque Poloniae Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios: officiosis litteris respondet e communi Conventu Czestochoviensi datis (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 172).

I — Epistula *Haud parva*, 22 ianuarii 1946, ad Exc.mum P. D. MAURILIUM SILVANI, Archiepiscopum tit. Naupactensem, in Republica Chilena Nuntium Apostolicum, quem Legatum mittit ad Conventum Eucharisticum e tota Chilena Republica Magellani celebrandum (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 175).

J — Epistula *In secundo Nostri Pontificatus anno*, 26 ianuarii 1946, ad Em.um P. D. DYONISIUM tit. Ss. Nerei et Achillei S. R. E. Presbyterum Card. DOUGHERTY, Archiepiscopum Philadelphiensem, quinque et viginti ante annos in Supremum Ecclesiae Senatum feliciter relatum (*AAS* XXXVIII [1 iun. 1946] p. 205).

K — Constitutio apostolica *Quebecensis* (S. Germani), 9 februarii 1946, qua a Provincia ecclesiastica Quebecensi Dioecesis S. Germani separatur, et ad Metropolitanae Ecclesiae gradum evehitur, novaque ex ea et ex Dioecesibus Gaspesiensi et Sinus S. Laurentii, quae et ipsae a Quebecensi Provincia separantur, necnon e Vicariatu Apostolico de Labrador ecclesiastica Provincia constituitur (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 343).

L — Allocutio, 10 februarii 1946, habita ad Exc.mum virum PASCHALEM DIANA, novum Italiae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Beatissimo Patri Litteras publicas porrigentem (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 178).

M — Epistula *Perlibenter cognovimus*, 11 februarii 1946, ad E.mum P. D. MICHAËLEM tit. Sanctae Anastasiae S. R. E. Presbyterum Cardinalem DE FAULHABER, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, quinque abhinc lustra ad Purpuratorum Patrum ordinem adlectum (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 176).

N — Allocutio 13 februarii 1946 habita, ad Serenissimum

O — Allocutio, 16 februarii 1946 habita, ad Exc.mum virum PAULUM DE CHURRUCA Y DOTRES, marchionem de Aycinena, novum Hispaniae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Beatissimo Patri Litteras publicas porrigentem (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 180).

P — Epistula *Cum ad recolendum*, 21 martii 1946, ad R. P. PETRUM DAMIANI BUFFADINI, Priorem Generalem Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulensium: saeculo exeunte ab obitu Summi Pontificis Gregorii XVI (*AAS* XXXVIII [6 iul. 1946] p. 250).

Q — Epistula *Tribus abhic annis*, 28 martii 1946, ad E.mum P. D. FRANCISCUM, Episcopum Tusculanum, S. R. E. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI, S. S. Congregationis S. Officii a Secretis, Vice Sacra in Urbe Antistitem, dena lustra Sacerdotii feliciter explentem (*AAS* XXXVIII [7 maii 1946] p. 177).

R — Epistula *Suavi animi delectatione*, 30 aprilis 1946, ad E.mum P. D. FRIDERICUM tit. Sanctae Mariae de Victorai, S. R. E. Presbyterum, Card. TEDESCHINI, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae Praefectum eumdemque Summi Pontificis Datarium, quinquagesimum natalem Sacerdotii itemque quintum et vicesimum Episcopatus annum feliciter explentem (*AAS* XXXVIII [1 iun. 1946] p. 205) .

S — Epistula *Caritas*, 12 maii 1946, ad R. P. FLORINDUM RUBINI, Ordinis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Praefectum Generalem: saeculo secundo exeunte a sollemni Canonizatione S. Camilli de Lellis, eiusdem Ordinis conditoris (*AAS* XXXVIII [6 iul. 1946] p. 251).

T — Nuntius radiophonicus *Bendito seja o Senhor*, 13 maii 1946 a Beatissimo Patre Lusitaniae christifidelibus datus, sollemnia celebrantibus ad Sanctuarium B. Mariae V. a Fàtima, aurea corona nomine Summi Pontificis redimitae (*AAS* XXXVIII [6 iul. 1946] p. 264).

U — Epistula *Anno proxime elapso*, 2 iun. 1946, ad E.mum P. D. IOANNEM S. R. E. Presbyterum Cardinalem DE JONG, Archiepiscopum Ultraiectensem: ob Conventum e tota Hollandia indictum ad miraculum Eucharisticum in urbe Amstelodamensi sexto elapso saeculo celebrandum (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 273).

V — Epistula*Quinque ante saecula*, 5 iun. 1946, ad Rev.mum P. CAROLUM PASQUINI, Ordinis Fratrum Eremitarum a S. Augustino Moderatorem Generalem: quinto vertente saeculo a sol-

lemni Canonizatione S. Nicolai a Tolentino (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 274).

X — Allocutio, 8 iun. 1946, ad novum Legatum Lusitaniae (*AAS* XXXVIII [6 iul. 1946] p. 260).

Y — Allocutio, 12 iunii 1946, ad novum Legatum Hiberniae (*AAS* XXXVIII [6 iul. 1946] p. 262).

Z — Epistula *Centesimo vertente anno*, 13 iunii 1946, ad *Exc.mum* P. D. HUMBERTUM RAVETTA, Episcopum Senegalliensem: ob sacra sollemnia, centesimo vertente anno ab electione Pii IX ad Supremum Pontificatum, celebranda (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 314).

AA — Nuntius radiophonicus *Venerables Hermanos*, 30 iunii 1946, a Summo Pontifice christifidelibus datus, ob conventum Eucharisticum e tota Boliviana Republica in Urbe Sucrensi coadunatis (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 276).

BB — Nuntius radiophonicus *Tandis que vous célébrez*, 30 iunii 1946, a Summo Pontifice christifidelibus Belgis datus, in urbe Leodiensi sacra sollemnia Eucharistica celebrantibus, saeculo septimo exeunte ab institutione festi Corporis Christi in eadem Dioecesi (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 278).

CC — Homilia, 7 iulii 1946, in sollemni canonizatione Beatae FRANCISCAE XAVERIAE CABRINI, Virginis (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 270).

DD — Epistula *Perlibenter agnovimus*, 15 iulii 1946, ad Exc.mum P. D. CELSUM COSTANTINI, Archiepiscopum tit. Theodosiopolitanum in Arcadia, a Secretis Sacri Consilii Christiano nomini Propagando, quina Episcopatus lustra feliciter explentem (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 318).

EE — Nuntius Radiophonicus, 19 iulii 1946, Christifidelibus e tota Columbiana Republica ob Conventum Marialem in urbe Bogotensi coadunatis (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 324).

FF — Allocutio, 31 Iulii 1946, ad Exc.mum Virum HENRICUM DE NICOLA, Praesidem ad interim Reipublicae Italicae (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 320).

GG — Epistula *Quinquagesimum*, 5 augusti 1946, ad Exc.mum P. D. LUCAM HERMENEGILDUM PASETTO, Archiepiscopum tit. Iconiensem, a Secretis Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium Praepositae, quinquagesimum Sacerdotii annum et vicesimum quintum Episcopatus fauste celebraturum (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 319).

HH — Allocutio, 13 augusti 1946, ad Exc.mum Virum ARTHURUM MAIXNER, novum Reipublicae Cecoslovachiae Legatum (*AAS* XXXVIII [14 sept. 1946] p. 323).

35 - Sacra Congregatio Consistorialis

Romanae - Portuensis et S. Rufinae. Decretum, 5 ianuarii 1946, de finium dioecesium immutatione (*AAS* XXXVIII [1 iun. 1946] p. 207).

36 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Taboren. - de Mwanza. Decretum, 11 aprilis 1946, de mutatione finium Vicariatuum (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 359).

37 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis.

1 - *Sancti Deodati seu Sinarum.* Decretum 21 maii 1945 de virtutibus pro beatificatione Ven. Servi Dei IOANNIS MARTINI MOYË, Sacerdotis e Societate Parisiensi Missionum ad exteros, Fundatoris Instituti Sororum a Providentia (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 287).

2 - *Romana seu Bergomen.* Decretum 9 decembris 1945 de miraculis pro beatificatione Ven. Servae Dei MARIAE TERESIAE EUSTOCHIO VERZERI, Fundatricis Instituti Filiarum Sacratissimi Cordis Iesu (*AAS* XXXVIII [1 iun. 1946] p. 210).

3 - *Parisien. seu Carcassonen.* Decretum 9 decembris 1945 de *Tuto* pro beatificatione Ven. Servae Dei MARIAE TERESIAE DE SOUBIRAN, fundatricis Societatis Mariae Auxiliatricis (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 362).

4 - *Romana.* Decretum 14 decembris 1945 introductionis causae pro beatificatione Servae Dei AUGUSTINAE PIERANTONI, ex Instituto Sororum a Caritate (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 364).

5 - *Limburgen.* Decretum 3 februarii 1946 introductionis causae pro beatificatione Famulae Dei MARIAE, in seculo CATHARINAE KASPER, fundatricis Instituti Pauperum Ancillarum Iesu Christi (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 367).

6 - Decretum 26 maii 1946 de *Tuto* pro beatificatione Ven. Servae Dei TERESIAE EUSTOCHII VERZERI, fundatricis Instituti Filiarum Sacri Cordis Iesu (*AAS* XXXVIII [3 oct. 1946] p. 369).

In sect. liturgica:

Urbis et Orbis. 1 iunii 1946. Additiones et variationes in efsto S. Antonii de Padua, Confessoris et Ecclesiae Doctoris (*AAS* XXXVIII [1 aug. 1946] p. 291).

38 - S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1945

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
NULLITATIS			
Ob affinitatem	1	1	
» amentiam mulieris	2	2	
» » » et condicionem apposîtam	1		1
Ob amentiam viri	1	1	
» exclusionem boni prolis	15	10	5
» » » » et boni sacramenti	3	1	2
Ob exclusionem boni prolis et simulationem consensus	1		1

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
Ob exclusionem boni sacramenti	1		1
» clandestinitatem	1		1
» » , ob totalem simulationem et exclusionem boni sacramenti	1	1	
Ob condicionem appositam	5	1	4
» » » et vim et metum	1		1
» » contra bonum sacramenti et bonum prolis	1		1
Ob defectum consensus	1	1	
» impedimentum criminis	1	1	
» impotentiam mulieris	3		3
(dispensatio super rato)	(3)	(1)	(2)
» impotentiam relativam	1		1
(dispensatio super rato)	(1)	(1)	
» impotentiam viri	12	2	10
(dispensatio super rato)	(8)	(4)	(4)
» impedimentum publicae honestatis	1		1
» vim et metum	27	13	14
» » » et ob impotentiam viri	1		1
(dispensatio super rato)	(1)		(1)
Incidentis	1	1	
	82	35	47

B - De variis argumentis

Causa una iudicata est, iurium scilicet.

II

Causae quae eodem anno 1945 transactae fuerunt, vel quae absque definitiva sententia finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A - De matrimonio

Causae	
Nullitatis	
Ob exclusionem boni fidei	1
» » » prolis	2
» » » » et boni fidei .	1
» » » » » sacramenti	1
Ob exclusionem boni sacramenti	2
» » » » et boni fidei .	1
» condicionem appositam	2
» » » et Rejecto libelli .	1
» defectum consensus	2
» ignorantiam circa naturam matrimonii .	1
» impotentiam mulieris	2
» » viri	4
» simulationem consensus	1
» » et defectum consensus . .	1
» vim et metum	7
» » et amentiam viri	1
» » et exclusionem indissolub.	1
» » et simulationem consensus	1
Reiectio libelli	1
	33

B - De variis argumentis

Causae tres: una de creditis, una de iniuriis et calumniis, duae de iuribus.

N.B. - *Ex* 83 *causis sub I allegatis* 38 *causae peractae sunt cum gratuito patrocinio*

39 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis praefecti sunt:

14 mart. 1946, R. D. Iacobus Palombella cathedrali ecclesiae Muranae.

22 mart. 1946, R. D. Vincentius Gili cathedrali ecclesiae Caesenatensi.

25 mart. 1946, R. D. Stephanus Wyszynski cathedrali ecclesiae Lublinensi.

25 mart. 1946, R. D. Ioannes Stepa cathedrali ecclesiae Tarnoviensi.

3 april. 1946, R. D. Carolus Skoupy cathedrali ecclesiae Brunensi.

6 april. 1946, Exc. P. D. Ioannes Cody, hactenus Episcopus dioecesis Victoriensis in Insula Vancouver, tit. episcopali ecclesiae Elatensi, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Thomae Kidd, Episcopi Londonensis.

13 april. 1946, Exc. P. D. Ioannes D'Alton, hactenus episcopus Midensis, metropolitanae ecclesiae Armachanae.

27 april. 1946, R. D. Iacobus Scanlan, tit. episcopali ecclesiae Cimaeae, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Toner, episcopi Dunkaldensis.

8 maii 1946, R. D. Petrus Raimondi cathedrali ecclesiae Crotonensi.

11 maii 1946, Exc. P. D. Iosephus Calasanctius Fliesser cathedrali ecclesiae Linciensi.

14 maii 1946, Exc. P. D. Iosephus Siri metropolitanae ecclesiae Ianuensi.

22 iun. 1946, R. D. Iacobus Hill cathedrali ecclesiae Victoriensi in Insula Vancouver.

22 iun. 1946, R. D. Iulius Rosales, cathedrali ecclesiae Tagbilaranae, noviter erectae.

22 iun. 1946, R. D. Donatus Pafundi cathedralibus ecclesiis invicem perpetuo unitis Asculanae Apuliae et Ceriniolensi.

22 iun. 1946, R. D. Leo Dworschak tit. episcopali ecclesiae Tianae, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Lawler, Episcopi Rapidopolitani.

20 iul. 1946, Exc. P. D. Iosephus Ritter, hactenus archiepiscopus Indianopolitanus, metropolitanae ecclesiae S. Ludovici.

20 iul. 1946, Exc. P. D. Paulus Schulte, hactenus episcopus Leavenworthiensis, metropolitanae ecclesiae Indianopolitanae.

20 iul. 1946, Exc. P. D. Iacobus Franciscus McIntyre, hactenus episcopus Cyrenensis, tit. archiepiscopali ecclesiae Paltenae, qui constituitur Coadiutor E.mi ac Rev.mi Domini Francisci S. R. E. Card. Spellmann, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

3 aug. 1946, R. D. Benedictus Zorzi, cathedrali ecclesiae Ilheosensi.

3 aug. 1946, R. D. Emanuel Martin Del Campo tit. episcopali ecclesiae Aulonitanae, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Hemeterii Valverde Télles, Episcopi Leonensis.

1 sept. 1946, Exc. P .D. Petrus Ossola cathedralibus ecclesiis Montis Alti et Ripanae, *in personam* unitis.

3 sept. 1946, R. D. Franciscus Prada Carrera tit. episcopali ecclesiae Bisicensi, qui constituitur Praelatus Praelaturae Nullius Sancti Ioseph de Alto Tocantins.

8 sept. 1946, R. D. Vincentius Cavalla metropolitanis ecclesiis Acheruntinae et Materanensi, invicem perpetuo unitis.

15 sept. 1946, Exc. P. D. Christophorus Dominicus Carullo, episcopus Laquedoniensis, metropolitanae ecclesiae Compsanae et cathedralibus ecclesiis de Lombardis et Bisaciensi aeque principaliter unitis, coniunctis *in personam* dioecesi Laquedoniensi.

Decretis S. C. de Propaganda Fide praefecti sunt:

14 mart. 1946, R. D. Andreas Gerardus Tynan cathedrali ecclesiae Rockhamptoniensi.

11 april. 1946, R. P. Iosephus Blomjous, Societatis Missionum ad Afros sodalis, tit. episcopali Ecclesiae Bubastitanae, qui constituitur Vicarius Apostolicus Musomensis-Maswensis.

10 maii 1946, E.mus ac R.mus Dominus Thomas S. R. E. Cardinalis Tienchensin, metropolitanae ecclesiae Pechinensi.

10 maii 1946, R. P. Faustinus Tissot, Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii pro exteris missionibus sodalis, cathedrali ecclesiae Cemceuvensi.

13 iun. 1946, Exc. P. D. Theodorus Labrador, iam episcopus Funimensis, metropolitanae ecclesiae Fuceuvensi.

13 iun. 1946, R. P. Antonius Demets, Congregationis SS.mi Redemptoris sodalis, tit. episcopali ecclesiae Cadossensi, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis hodierni episcopi Rosensis.

13 iun. 1946, R. P. Andreas Sorin, e missionariis Sacratissimi Cordis, tit. episcopali ecclesiae Antiphrensi, qui constituitur Vicarius Apostolicus Portus Moresby.

11 iul. 1946, R .P. Iosephus Ferruccius Mauritius Rosà, O. F. M., metropolitanae ecclesiae Hancheuvensi.

11 iul. 1946, R. P. Ludovicus Durrieu, e Societate Missionariorum Africae, tit. episcopali ecclesiae Athribitanae, qui constituitur Coadiutor cum iure successionis Vicarii Apostolici de Ougadougou.

11 iul. 1946, R. P. Ioannes Mac Carthy, Congregationis Sancti Spiritus sodalis et Apostolicae Delegationis Africae pro missionibus hucusque Regens, tit. episcopali Ecclesiae Cercinitanae, qui constituitur Vicarius Apostolicus Zanzibariensis.

11 iul. 1946, R. P. Iosephus Geraldus Holland, Societatis pro missionibus ad Afros sodalis, tit. episcopali ecclesiae Ammaedarensi, qui constituitur Vicarius Apostolicus de Volta Inferiore.

11 iul. 1946, R. P. Iacobus Siedle, e Societate Missionariorum Africae, tit. episcopali ecclesiae Odrenae, qui constituitur Vicarius Apostolicus Karamensis.

18 iul. 1946, Exc. P. D. Iosephus Chou-Chi-shih, iam episcopus Paotimensis, metropolitanae ecclesiae Nanciamensi.

18 iul. 1946, Exc. P. D. Marius Civelli, hactenus episcopus Hanciomensis, cathedrali ecclesiae Ueihoivensi.

Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt:

14 dec. 1945, R. P. Ioannes Deutsch, e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, Praefectus Apostolicus Norvegiae Centralis.

21 ian, 1946, R. P. Franciscus Xaverius a Floriana, Ordinis Min. Capuccinorum, Praefectus Apostolicus de Jhansi.

7 iun. 1946, R. P. Hieronymus Lingenheim, e Societate pro missionibus ad Afros, Praefectus Apostolicus de Sokodè.

7 iun. 1946, R. P. Matthaeus Farrelly, e Congregatione Sancti Spiritus, Superior ecclesiasticus Missionis de Gambia.

21 iun. 1946, R. P. Henricus Ederle, Societatis Verbi Divini, Praefectus Apostolicus Mindorensis.

21 iun. 1946, R. P. Camillus Vandekerkhove, C. M., Praefectus Apostolicus de Bikoro.

12 iul. 1946, R. P. Benedictus Garcia Guillermo, O. C. Disc., Praefectus Apostolicus de Esmeraldas.

12 iul. 1946, R. P. Ioachim Delange, e Congreg. S. Spiritus, Praefectus apostolicus de Teffè.

12 iul. 1946, R. P. Ignatius Garcia Martin, S. I., Praefectus Apostolicus S. Francisci Xaverii.

40 - Necrologium

11 apr. 1946, R. D. Ioannes Bargiggia, episcopus Viglevanensis.

20 apr. 1946, R. D. Georgius Choquet, episcopus Tarbiensis et Lourdensis.

24 apr. 1946, R. D. Ioannes Kurio, episcopus Amadiensis Chaldaeorum.

5 maii 1946, R. D. Antonius Colturato, episcopus Botucatuensis.

5 maii 1946, R. D. Casimirus Bukraba, episcopus Pinskensis.

7 maii 1946, R. D. Henricus Vielle, vicarius apostolicus de Rabat.

8 maii 1946, R. D. Adolphus Ivo Maria Duparc, episcopus Corisopitensis (Quimper).

13 maii 1946, R. D. Philippus Rincon Gonzalez, archiepiscopus Caracensis.

18 maii 1946, R. D. Ioannes Maria Blois, archiepiscopus Moukdensis.

19 maii 1946, R. D. Eduardus Rostaing, vicarius apostolicus de Antsirabè.

20 maii 1946, Em. D. Card. Henricus Gasparri, episcopus suburb. Veliternus, Praefectus Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae.

25 maii 1946, R. D. Gasparus Thaçi, archiepiscopus Scutariensis.

30 iun. 1946, R. D. Joseph Stephanus Garic, episcopus Banialucensis.

30 iun. 1946, R. D. Emmanuel Fulcheri y Pietrasanta, episcopus Zamorensis Americae Sept.

19 iul. 1946, R. D. Rodulphus Orler, vicarius apostolicus de Bahr-el-Ghazal.

20 iul. 1946, R. D. Lucianus Geraci, praelatus S. Luciae.

I. - Ex libris

Ex.mo y Rev.mo Sr. Arzobispo de Burgos, *El Seminario de Misiones extranjeras de Burgos*, 71 pp. Invitación a todo el clero y pueblo español. Idea del Seminario de Misiones extranjeras, precedentes y ambiente; figura de D. Gerardo Villota. Planes para el porvenir.

Pio Alfonzo O. S. B., *I riti della Chiesa. Lineamenti storico-esegetici. IV. I sacramenti e le benedizioni*, Romae, Edizioni *liturgiche*, 1946, 15×22 cm., 147 pag.

Sandro Dalla Libera, *Liber choralis.* Libro dei canti parrocchiali liturgici ad uso delle scuole di canto e dei fedeli, Vicetiae, Società anonima tipografica, 1946, 9×15,5 cm., 386 pag.

Eduardus Iglesias S. I., *De Deo in operatione naturae vel voluntatis operante*, Mexici, Buena Prensa, 1946, 17×22,5 cm., 405 pag.

De genuina nonnullorum Sancti Thomae terminorum significatione. — De Deo in naturali operatione naturae vel voluntatis operante. — De Deo in operatione elevatae voluntatis operante.

II. - Ex periodicis

Christus, XI (1946), iul. — Luis Cabrera, *Nuestras Problemas. Trabajo Misionero en las parroquias*, p. 549-554.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN, XLII (1946), fasc. 8-9 (aug. sept.). — L. Verschueren, O. F. M., *Literatuur over de spiritualiteit van de diocesane clerus*, p. 234-243. — Fasc. 10 (oct.), J. Visser, C. ss. R., *Biechtjurisdictie in de lucht*, p. 285-287. — Fasc. 11 (nov.), K. de Beer, *Over de spiritualiteit van den Dioecesanen clerus*, p. 308-315.

RAZON Y FE, XLVI (1946) sept.-oct. — A. M. Cayuela, S. I., *Importancia social de la radiodifusión*, p. 187-208.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, XXVII, fasc. 11 (nov.). — Civis, *La battaglia per la moralità pubblica*, p. 429-430.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 310.

Gulielmus Bertrams, S. I., Prof. philos. iuris in Pont. Univ. Gregoriana, p. 241 ss.

Felix M. Cappello, S. I., Prof. textus iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 195 ss., 380 ss.

Paschalis D'Elia, S. I., Prof. sinolog. in fac. missiol., p. 256 ss., 357 ss.

Paulus Dezza, S. I., Prof. metaph. gen. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 181 ss.

Gustavus Gundlach, S. I., Prof. sociol. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 94 ss.

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 51 ss., 209 ss.

Michael Ledrus, S. I., Prof. theol. asc. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 271 ss.

Olisius Robleda, S. I., Prof. iur. can. in Pont. Univ. Comillensi, p. 29 ss.

Arthurus Schönegger, S. I., Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 188 ss.

Antonius Wuyts, S. I., Prof. iur. can. orient. in Pont. Inst. Orientali, p. 142 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM

(Vid. p. IV extern. Fasciculi)